

**C Æ R E M O N I A L E
E P I S C O P O R U M**

CLEMENTIS VIII, INNOCENTII X ET BENEDICTI XIII

JUSSU EDITUM

BENEDICTI XIV ET LEONIS XIII

AUCTORITATE RECOGNITUM

EDITIO TERTIA POST TYPICAM



TAURINI

MARIETTI

ROMÆ

Sanctæ Sedis Apostolicæ et Sacræ Rituum Congregationis Typographi

Concordat cum exemplari approbato.

Taurini, die 11 Februarii 1948.

Sac. A. TALLANDINI, *Rev. Arch.*

IMPRIMATUR.

Can. A. COCCOLO, *Vic. Gen.*

SS. DOMINI NOSTRI
BENEDICTI XIV
APOSTOLICÆ LITTERÆ

In forma Brevis de nova Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, necnon et Romani Pontificalis editione, ex quibus selegimus quæ Cæremoniale Episcoporum tantummodo spectant.

BENEDICTUS PAPA XIV.
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quam ardenti studio, incredibili sollicitudine, assidua cura, et indefesso, diuturnoque labore, adhibitis etiam, accitisque undequaque viris in sacra doctrina, disciplinaque ecclesiastica versatis, æque ac de rerum liturgicarum peritia peritissimis, sedulam operam navaverint, atque contenderint Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Venerabilium Fratrum Episcoporum et Pontificale Romanum, sive emendatis erroribus, sive correctis inordinationibus, sive ablatis inutilibus, sive restitutis necessariis, ad eam tandem formam, normamque, juxta quam de præsentis usui sunt, maximo cum omnium virorum ecclesiasticorum commodo et utilitate redigerentur; præstat in primis intelligere ex ipsis præsertim Apostolicis in simili forma Brevis litteris eorumdem Prædecessorum Nostrorum, qui post S. Pium Papam V. felicitis recordationis Clemens VIII. Innocentius X. Paulus V. Urbanus VIII. et Benedictus XIII. ad gravissimum dignissimumque hujusmodi opus omnibus numeris absolvendum sese pro viribus ad-diderunt.

Tenores autem memoratarum litterarum sunt, qui sequuntur. *Ac primum quidem, quæ pro Rituali Romano statuit Paulus Papa V. Bulla incip. Apostolicæ Sedi, brevitatis gratia hic omittuntur.*

Sequitur vero Clementis VIII. Bulla pro Cæremoniali Episcoporum.

CLEMENS PAPA VIII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Cum novissime Pontificale Romanum, antea mendosum et corruptum, a piis et eruditis viris emendari et restitui, et demum ad Episcoporum et aliorum Ecclesiarum Prælatorum communem usum et commoditatem divulgari, et in universali Ecclesia ab omnibus observari mandaverimus; operæ pretium visum fuit Cæremoniale Episcoporum omnibus Ecclesiis, præcipue autem Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis perutile ac necessarium, in quo Ritus

et Cæremoniæ celebrandi Missas, Vesperas, et alia divina Officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus et actibus, ab eisdem Episcopis, ac aliis Prælatiſ inferioribus in eisdem observandæ, ac modus etiam præcedendi tam inter personas ipsas ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos similiter servandus continentur, quodque pridem multis mendis respersum fuerat, similiter reformari, et restitui curaremus. Eapropter id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis piis, ac eruditis, in hisque sacris Ritibus et Cæremoniis apprime versatis viris examinari, corrigi, et in optimam, ipsique Pontificali reformato maxime congruentem formam redigi mandavimus. Quod opus cum ea, qua decuit fide et diligentia, jam absolutum fuisse accepimus. Porro reliquum est, ut hujus operis labor eum, ad quem directus est, finem consequatur. Idcirco Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu Nostro emendatum et reformatum motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo approbantes, illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus, et mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum et reformatum nullo unquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas prædictas, quæ sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta facere, aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum exsistit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur servatis satisfacere posse, perpétuo statuimus, et ordinamus. Per præsentem autem antiqua Cæremonialia in his, quæ prædicto Cæremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censi volumus, sed illorum usum (salva reformatione prædicta) permittimus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac etiam in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus, necnon quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentem, lapsis duobus mensibus, qui vero intra montes, octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias, ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras Cæremonias et Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum et normam in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur. Ipsarum autem litterarum exempla, manu Notarii publici, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut illius Curiaæ obſignata, vel in ipsis voluminibus absque prædicto, vel

alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam præsentēs facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIV. Julii MDC. Pontificatus Nostri Anno Nono.

M. Vestrius Barbianus.

Deinde INNOCENTIUS PAPA X. *Ad perpetuam rei memoriam.*

Etsi alias fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster Cæremoniale Episcoporum, omnibus Ecclesiis, præcipue autem Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis perutile, ac necessarium, in quo Ritus et Cæremoniæ celebrandi Divina Officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus et actionibus ab iisdem Episcopis aliisque Prælati inferioribus observandæ, ac modus etiam præcedendi tam inter personas ipsas ecclesiasticas, quam etiam inter eas, et laicos similiter servandus, continentur, multis antea mendis refertum corrigi et restitui curaverit; attamen successu temporis compertum est, plurimos errores et menda in idem Cæremoniale, sive diuturnitatis injuria, sive Typographorum incuria, aliave de causa irrepsisse, illudque proinde iterata emendatione indigere. Eapropter Nos pro Pastoralis Nostræ sollicitudine id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque piis, et eruditis, sacrorumque Rituum et Cæremoniarum apprime peritis viris corrigi et emendari mandavimus, quod cum ab illis accuratissime præstitum fuisse acceperimus, idcirco ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re Cardinalium et aliorum prædictorum labor optato frustretur effectu, motu proprio, ac ex certa scientia Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu Nostro, ut præmittitur, recognitum et emendatum perpetuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus, et mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas præfatas, quæ sacerdotalia munera exercere aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse perpetuo statuimus et ordinamus. Per præsentēs autem antiqua Cæremonialia in his, quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censi volumus; sed illorum etiam usum (salva emendatione prædicta) permittimus. Non

obstantibus præmissis, ac Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, quibusvis Ecclesiis et personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores præsentibus pro expressis habentes ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentibus, lapsis duobus, qui vero intra montes, octo, qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias, ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras Cæremonias et Ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum et normam in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur. Quodque earundem præsentium litterarum exemplis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut illius Curia munitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressis, eadem ubique locorum et gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XXX. Julii MDCL. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

Demum BENEDICTUS PAPA XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Licet alias fel. rec. Clemens VIII. ac subinde Innocentius X. Romani Pontifices Prædecessores Nostri Cæremoniale Episcoporum edendum, atque a mendis expurgandum curaverint, processu tamen temporis compertum est, novos errores non minus Typographorum imperitia, quam aliorum culpa et negligentia in illud irrepisse, ac proinde Nos, qui in minoribus constituti, per annos quinquaginta Episcopi ac Metropolitæ munere et dignitate perfuncti sumus, cum nihil antiquius habuerimus, quam ut sacros Ritus et Cæremonias secundum antiquam ac laudabilem Romanæ Ecclesiæ disciplinam adamussim perageremus, diuturno eorum usu ac studio animadvertimus, utile ac necessarium maxime futurum, si rursus idem Cæremoniale novis curis recognitum ederetur, obscura quædam in eo et ambigua illustrarentur, corrupta alia et depravata emenderentur, nonnulla præterea inter se pugnancia et contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus prætermissa suis locis opportune adderentur. Ubi primum igitur ad Summi Apostolatus fastigium, li-

cet immeriti et oblectantes, evecti fuimus, in hanc etiam solliciti
 dinem cogitationes Nostras direximus, Nosque ipsi hoc opus aggressi
 illud, nonnullis etiam adhibitis piis ac eruditis viris sacrorumque
 Rituum apprime peritis, qui operam suam in ipso Cæremonia
 emendando ac restituendo Nobis contulerunt, benedicente Dom
 no perfecimus. Itaque ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re labo
 suo frustretur effectum, motu proprio, ac ex certa scientia Nostris
 deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cæremoniale Episcoporum
 hujusmodi a Nobis, ut præmittitur, recognitum et emendatum, pe
 petuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesi
 ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, et in futuro
 spectabit, perpetuo observandum esse, in virtute sanctæ obedienti
 præcipimus, et mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi sic emen
 datum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari, vel
 aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personi
 præfatas, quæ Pontificalia et Sacerdotalia munera exercere, at
 alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta, facere, aut exseq
 debent, ad ea peragenda et præstanda, juxta hujus Cæremonial
 formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exe
 cendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ h
 Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo st
 tuimus, et ordinamus. Per præsentem autem antiqua Cæremonial
 in his, quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, m
 nime aboleri, aut abrogata censi volumus; sed illorum etiam usu
 (salva emendatione prædicta) permittimus. Non obstantibus præ
 missis, ac Apostolicis, et in Universalibus, Provincialibusque
 Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constituti
 nibus et Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum etiam j
 ramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roborat
 statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litter
 Apostolicis, quibusvis Ecclesiis et personis in contrarium præmi
 sorem quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibu
 et singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, et
 præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, et
 risque contrariis quibuscumque. Volumus autem, et parl motu
 auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentem
 lapsis duobus, qui vero circa montes, octo, et qui ultra ubique
 corum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias, u
 venatium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultate
 habuerint, sacras Cæremonias et Ritus in eodem Cæremoniali præ
 scriptos, juxta illius modum et normam in quibuscumque actibus
 exercere, et observare teneantur. Quodque earundem præsentium li
 terarum exemplis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuj
 personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut illius Curie m
 nitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam

adminiculo Romæ impressis, eadem ubique locorum et gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Tertio. *Pro D. Cardinale Oliverio, Carolus Archiepiscopus Emissenus.*

Prætermittitur hic Bulla Clementis Papæ VIII. incip. Ex quo in Ecclesia. Alia item Urbani Papæ VIII. incip. Quamvis alias, quæ Pontificale respiciunt. Sequitur vero Bulla: Quoniam autem Nos pro paterna charitate vehementer cupientes, ut Christifidelibus in articulo mortis constitutis, quoad fieri posset, universis Apostolica Benedictio Nostro nomine impertiretur, et Plenaria omnium suorum peccatorum Indulgentia elargiretur, per alias Nostras sub Plumbo litteras anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII. Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri anno septimo datas omnibus Ecclesiarum Antistitibus hujusmodi facultatem sub certis modo et forma expressam tribuimus, atque insimul Formulam Benedictionis et Indulgentiæ hujusmodi dandæ præscripsimus, quemadmodum Encyclicam etiam Nostram Epistolam die XIX. mensis Martii anno MDCCXLIV. ad dilectos Filios Generales Ordinum Regularium, quibus a S. Sede indulta vel indulgenda erat facultas Pontificiam Benedictionem efundendi super Populum statis diebus, scripseramus super modo et ritu, quibus prædicta Benedictio danda est.

Præterea ad nonnullas lites et controversias exortas e medio tollendas, itidem per alias Nostras in simili forma Brevis litteras confirmaveramus leges et instituta Cæremonialia jussu Nostro edita pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælati, et Apostolicis Vicelegatis, quæ sunt tenoris sequentis.

BENEDICTUS XIV. *Ad perpetuam rei memoriã.* Quod Apostolus universis Christifidelibus consulebat, ut inter cetera officia sibi pariter exhibenda honore etiam sese invicem prævenirent, et honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent; id maxime ab Antistitibus et Præsulibus vicissim inter sese in mutua tam civilium quam sacrorum Officiorum exhibitione præstandum esse intelligentes Romani Pontifices Prædecessores Nostri, per Cæremoniale Episcoporum juxta uniuscujusque Ordinis, gradus et dignitatis conditionem, Leges et Statuta, quibus integerrime servatis, et unicuique ratio haberetur et nemini inferretur præjudicium, sapientissime præscripserunt. Quoniam autem quosdam abusus in honoribus sibi invicem deferendis inter Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos ex una, et inter dilectos Filios Provinciarum Status Nostri Ecclesiastici Præsides, Gubernatores Prælatos et Apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto, ac tempore

etiam immemorabili irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam in posterum querelis, ac dissidiis inter utrosque forsitan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum et Cæremoniarum præpositi sunt, negotium dedimus; ut Leges et Instituta cæremonialia pro corrigendis et auferendis iisdem abusibus opportuna et salutaria conderent. Hujusmodi vero Leges et Instituta Cæremonialia ab iisdem Cardinalibus præscripta et a Nobis inspecta cum probassemus, quo firmius subsistant et servantur exactius, tenore præsentium, Apostolica auctoritate approbamus et confirmamus, atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observanda esse statuimus, præcipimus et mandamus. Decernentes easdem præsentibus litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ:

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Maji MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

E. Cardinalis Passioneus.

DECRETUM. Cum Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. ex Cardinalibus, qui Congregationi Sacrorum Rituum et Cæremoniali præpositi sunt, quatuor selegisset Eminentissimos, nempe Rufum Sacri Collegii Decanum, Lercarium, Accorambonum et de Gentilibus, ut ab eisdem uniforme statueretur Cæremoniale, a Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælati et Vice-Legatis in suis respective Provinciis, vel Civitatibus, Sanctitate Sua prius approbante, posthac perpetuo et inconcusse observandum; ipsi Eminentissimi Patres pluribus idcirco præhabitis sessionibus, hæc, quæ sequuntur, mihi peculiaris hujus Congregationis Secretario, Sanctitati Suæ referenda demandarunt.

Factaque per me de infrascriptis omnibus Sanctitati Suæ rela-

tione, Sanctissimus non tantum ea approbavit, verum etiam pro omnimoda illorum observantia publicari mandavit. Hac die XVIII. Aprilis MDCCXLI. T. Card. Rufus Episc. Ostien. et Veliternen. Loco Sigilli. Ignatius Reali Secretarius.

Insuper Formulam itidem Benedictionis et Traditionis Pallii ac jurisjurandi a Procuratoribus absentium Archiepiscoporum, antequam a Dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Diacono idem Pallium accipiant, ipsorum Archiepiscoporum nomine præstandi per Nostram Constitutionem die XII. mensis Augusti anno MDCCXLVIII. sub Plumbo expeditam statuimus.

Porro accedit ad hæc methodus quoque Scholæ Sacrorum Rituum in Gregoriano Collegio Romano hujus almæ Urbis Nostræ Nobis approbantibus institutæ, non sine uberi per hoc tempus in Sacris Ritibus addiscendis profectu, aliarumque ad instar ejusdem Scholæ, a se jam erectarum vel erigendarum, quæ methodus multis in libris et præcipue in decimo Operum Nostrorum Volumine Romanæ editionis reperitur inserta, plurimumque a Nobis commendatur, eamque plurimum studiosis Sacrorum Rituum prodesse comperitum est.

Eapropter cum Nobis a quamplurimis supplicatum fuerit, ut typis iterum reimprimendi Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, et Pontificale Romanum hujusmodi, et non solum in iisdem antedicta omnia a Nobis statuta addendi, verum etiam Nostro jussu in lucem emittendi, licentiam de Apostolica benignitate et auctoritate concedere et indulgere dignemur: Nos itaque probe scientes et experientia edocti quantum prosit, ut in uno volumine simul collecta ad manum sint ea omnia, quæ sparsim ac divisim impressa inveniuntur, et considerantes quantum hujusmodi collectio utilitatem memoratæ Scholæ Liturgicæ in Collegio Soc. Jesu ejusdem almæ Urbis Nostræ a Nobis institutæ, aliisque ubique locorum erectis afferre possit; Apostolica Auctoritate tenore præsentium communibus tot insignium Virorum ac Præsulum votis et supplicationibus benigne annuentes, facultatem tribuimus et imperimus, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsentibus impressa reperiuntur et usui sunt, una simul cum omnibus et singulis, quæ, ut superius relatam est, a Nobis præscripta, ordinata et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo Scholæ Sacrorum Rituum in Operibus Nostris jam editis inserta jussu Nostro, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, typis reimprimantur, et in lucem emittantur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die XXV. Martii Anno MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno XII.

Cajetanus Amatus.

CÆREMONIALIS EPISCOPORUM

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Corona nuper Electi ad cathedram metropolitanam, episcopalem, seu majorem. Vestium forma et color. Quid agere debeant Electi, in Curia præsentes. Quid absentes. Vestes eorum, qui ex Ordinibus regularibus aut militaribus sumuntur.

Cum primum aliquis certior factus fuerit, se alicui ecclesiæ metropolitanæ, cathedrali, vel majori a Summo Pontifice in Consistorio præfectum, sive ille in curia romana degat, sive ab ea absens sit, statim curabit, sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc, et non prius super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exhibit, induet aliam vestem brevioram apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis mantelletum vocant. Vestes autem hujusmodi erunt vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacæ, nullo autem modo sericæ.

2. Præsentes in curia, induti, ut supra, quam primum poterunt, adibunt Summum Pontificem, et ei gratias agent de sua promotione, merita propria extenuando, et dignitatis gradum amplificando, seipsos et ecclesias ipsis commissas humiliter commendando, et tunc e Sanctitatis Suæ manibus rochetum accipient, et post oscula pedum gratias agent. Visitabunt deinde singulos Eminentissimos S. R. E. Cardinales in eorum domibus, eisque officiose gratias agent, se et suas ecclesias illis commendando, et offerendo.

3. Absentes vero se ipsos rochetto et vestibus, ut supra, induent, et gratiarum actiones et ecclesiarum suarum commendationis officium per litteras, tam apud Summum Pontificem, quam apud Eminentissimos Dominos Cardinales peragere studebunt; et si erunt

tione, Sanctissimus non tantum ea approbavit, verum etiam pro omnimoda illorum observantia publicari mandavit. Hac die XVIII. Aprilis MDCCXLI. T. Card. Rufus Episc. Ostien. et Veliternen. Loco Sigilli. *Ignatius Reali Secretarius.*

Insuper Formulam itidem Benedictionis et Traditionis Pallii ac jurisjurandi a Procuratoribus absentium Archiepiscoporum, antequam a Dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Diacono idem Pallium accipiant, ipsorum Archiepiscoporum nomine præstandi per Nostram Constitutionem die XII. mensis Augusti anno MDCCXLVIII. sub Plumbo expeditam statuimus.

Porro accedit ad hæc methodus quoque Scholæ Sacrorum Rituum in Gregoriano Collegio Romano hujus almæ Urbis Nostræ Nobis approbantibus institutæ, non sine uberi per hoc tempus in Sacris Ritibus addiscendis profectu, aliarumque ad instar ejusdem Scholæ, alibi jam erectarum vel erigendarum, quæ methodus multis in libris et præcipue in decimo Operum Nostrorum Volumine Romanæ editionis reperitur inserta, plurimumque a Nobis commendatur, eamque plurimum studiosis Sacrorum Rituum prodesse competentum est.

Eapropter cum Nobis a quamplurimis supplicatum fuerit, ut typis iterum reimprimendi Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, et Pontificale Romanum hujusmodi, et non solum in iisdem antedicta omnia a Nobis statuta addendi, verum etiam Nostro jussu in lucem emittendi, licentiam de Apostolica benignitate et auctoritate concedere et indulgere dignaremur: Nos itaque probe scientes et experientia edocti quantum prosit, ut in uno volumine simul collecta ad manum sint ea omnia, quæ sparsim ac divisim impressa inveniuntur, et considerantes quantam hujusmodi collectio utilitatem memoratæ Scholæ Liturgicæ in Collegio Soc. Jesu ejusdem almæ Urbis Nostræ a Nobis institutæ, aliisque ubique locorum erectis afferre possit; Apostolica Auctoritate tenore præsentium communibus tot insignium Virorum ac Præsulum votis et supplicationibus benigne annuentes, facultatem tribuimus et imperitur, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsentibus impressa reperiuntur et usui sunt, una simul cum omnibus et singulis, quæ, ut superius relatum est, a Nobis præscripta, ordinata et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo Scholæ Sacrorum Rituum in Operibus Nostris jam editis inserta jussu Nostro, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, typis reimprimantur, et in lucem emittantur:

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXV. Martii Anno MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno XII.

Cajetanus Amatus.

CÆREMONIALIS EPISCOPORUM

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Corona nuper Electi ad cathedram metropolitanam, episcopalem, seu majorem. Vestium forma et color. Quid agere debeant Electi, in Curia præsentes. Quid absentes. Vestes eorum, qui ex Ordinibus regularibus aut militaribus sumuntur.

Cum primum aliquis certior factus fuerit, se alicui ecclesiæ metropolitanæ, cathedrali, vel majori a Summo Pontifice in Consistorio præfectum, sive ille in curia romana degat, sive ab ea absens sit, statim curabit, sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc, et non prius super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exhibit, induet aliam vestem breviorē apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis mantellettum vocant. Vestes autem hujusmodi erunt vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericæ.

2. Præsentes in curia, induti, ut supra, quam primum poterunt, adibunt Summum Pontificem, et ei gratias agent de sua promotione, merita propria extenuando, et dignitatis gradum amplificando, seipsos et ecclesias ipsis commissas humiliter commendando, et tunc e Sanctitatis Suæ manibus rochetum accipient, et post oscula pedum gratias agent. Visitabunt deinde singulos Eminentissimos S. R. E. Cardinales in eorum domibus, eisque officiose gratias agent, se et suas ecclesias illis commendando, et offerendo.

3. Absentes vero se ipsos rochetto et vestibus, ut supra, induent, et gratiarum actiones et ecclesiarum suarum commendationis officium per litteras, tam apud Summum Pontificem, quam apud Eminentissimos Dominos Cardinales peragere studebunt; et si erunt

in propria sua diœcesi vel provincia, cum de eorum promotione certum nuntium habuerint, utantur domi, et foris, loco mantelletti, mozzetta ejusdem coloris supra rochetum, et tam præsentes in curia quam absentes utantur, cum opus erit, galero nigro laneo, virido serico ornato, cum chordulis ac floccis coloris viridis. Hæc, quæ de vestibus diximus, clericis, seu presbyteris sæcularibus, seu regularibus electis, tantum conveniunt.

4. Promoti vero ex regulari ordine non clericali, non utuntur rochetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suæ religionis, et deferunt ubique mozzettam ejusdem coloris et biretum nigrum (galero tamen viridi prout supradicti clerici utuntur); sed canonici regulares utuntur etiam rochetto, prout ante promotionem ad episcopatum utebantur in sua Congregatione, et colore violaceo; sed non mozzetta, ut et Presbyteri S. Spiritus, et militiarum S. Joannis, S. Jacobi, et aliarum; qui tamen sui ordinis insignia in vestibus non deferunt, sed ejusdem ordinis crucem ad collum intus pendentem. Cum autem Episcopi nulli regulari ordini adscripti, seu ex ordinibus militaribus assumpti, extra diœcesim fuerint, mozzetta super mantellettum utantur, ubi talis viget consuetudo.

CAPUT II.

Procuranda ab Archiepiscopo et Episcopo ante accessum ad suam ecclesiam. Quæ in itinere præstanda. Significandus ejus adventus Vicario, Capitulo, et Magistratui civitatis. Quæ præparari debeant pro ejus ingressu. Quo ordine processio peragenda. Ritus possessionis in ecclesia capiendæ. Recessus ab ecclesia ad ædem episcopalem. Quid præstandum si transeat per insignem locum suæ Diœcesis, vel in eo hospitetur.

Accessurus Episcopus ad suam Diœcesim, vel Archiepiscopus ad suam Provinciam, ante accessum poterit aliquas gratias seu facultates a Sanctissimo Domino nostro Papa obtinere, præsertim Indulgentiam plenariam pro populo suæ primæ Missæ adfuturo. Insuper præparabit, quæ in itinere et ingressu usui esse poterunt: ut vestes episcopales ordinarias, cappam pontificalem violacei coloris, seu, si regularis fuerit, coloris habitus sui; galerum pontificalem chordulis ac floccis sericis coloris viridis ornatum; equi etiam, sive mulæ ornamenta opportuna; item libros necessarios, ut,

inter ceteros, Pontificale Romanum et hoc Cæremoniale, ac paramenta etiam sacra, quæ pro ingressu erunt necessaria, idest pluviale album cum stola et mitra pretiosa, amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem et anulum, nisi ea ad majorem commoditatem a propria ecclesia sumere velit. In discessu recitabit in ecclesia, si commode fieri poterit, sin minus, antequam equum ascendat, cum suis clericis et familiaribus, Itinerarium; idemque observabit quotidie mane post Missam, antequam equum ascendat, quamdiu erit in itinere: et si erit Archiepiscopus, quamprimum suam Provinciam intraverit, faciet ante se deferri Crucem per aliquem ex suis capellanis, imagine sanctissimi Crucifixi ad se versa; et sibi occurrentes subditos, qui genuflectere debent, signo crucis super illos facto benedictet, atque ita etiam faciet Episcopus cum suam diocesim intraverit.

2. Cum autem erit unius diei, vel bidui spatio propinquus propriæ civitati, significabit Vicario suo, et Canonicis, ac Capitulo, necnon Magistratui et Officialibus civitatis diem et horam sui ingressus, ut possint omnes se præparare, ut ei obviam eant, eumque debito honore prosequantur; præmittet etiam aliquem ex suis, qui Clerum et alios, ad quos spectat, admoneat, ut processionem habendam in hujusmodi ingressu indicent: præparari faciant baldachinum in porta civitatis, et deputari qui illud portent supra Episcopum; vias etiam, per quas eundum erit, mundari, ac floribus vel frondibus conspergi in signum lætitiæ curent.

3. Die præstituta, Canonici et Capitulum cum toto Clero debent processionali ritu proficisci extra portam civitatis, et prope illam consistere; Magistratus vero et Officiales cum civibus et populo Episcopum in porta excipere: Episcopus interim in aliquo sacello, seu honesto et convenienti loco, parum distante a porta civitatis, descendet de mula vel equo, ac deposito itinerario habitu, induet cappam pontificalem, iterumque ascendet mulam ornatam pontificalibus ephippiis et stragula violacei coloris, ac galerum pontificalem solemniozem in capite geret; atque ita equitabit, suis familiaribus et domesticis ipsum comitantibus usque ad portam civitatis, ubi descendens e mula genuflectet super tapete stratum et pulvinum ibidem paratum, et devote osculabitur crucem sibi per digniorem ex Capitulo pluviali albo indutum oblatam. Mox surgens, in aliquo sacello vel loco ad id parato accipiet, deposita cappa, paramenta

sacra, videlicet amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stollam et pluviale album, ac demum mitram pretiosam atque anulum, et conscendet equum, serico albo undique tectum et decenter ornatum.

4. Ordo autem procedendi erit. Equitabunt primo cives omnes, deinde familiares Episcopi, tum Magistratus et Officiales civitatis, Barones et Principes, si qui aderunt; mox Clerus omnis pedibus incedens, præcedente sua cruce, quem cantores subsequenter cantantes, ut in Pontificali Romano; post hos Canonici et Capitulum ecclesiæ, et si fuerit Archiepiscopus, antecedit crux Archiepiscopalis, inter quam et Archiepiscopum nemo erit, nisi Dignitates et Canonici; demum Archiepiscopus, seu Episcopus mitratus equitabit sub baldachino quod portabitur primo loco per Magistratum civitatis, deinde per nobiles cives usque ad ecclesiam, sive per eos, quibus ex consuetudine vel ex privilegio id convenit. Ipse Episcopus memor erit populo manu dextera aperta et extensa frequenter benedicere, signum crucis faciens. Post Episcopum equitabunt Prælati, si qui erunt, et reliqui togati.

5. Ante portam ecclesiæ Episcopus descendet ex equo super tapete stratum ibidem extensum, et retenta mitra, capiet aspersionem de manu dignioris de Capitulo antedicti, ut supra induti, quo se et alios asperget aqua benedicta, incipiendo a digniore: ac ministrante eodem, qui aspersionem obtulit, naviculam, imponet in thuribulum, quod aliquis acolythus tenet, thus cum benedictione; tum prædictus dignior ex Capitulo, accipiens thuribulum de manu Acolythi, stans facta prius profunda capitis inclinatione ante Episcopum, thurificet illum stantem cum mitra, triplici ductu thuribuli; et præcedentibus Clero, Canonicis et Dignitatibus, atque Hymnum *Te Deum laudamus*, etc. cantantibus, ad altare Sanctissimi Sacramenti, si est aliud ab altari majori, consistet ibi Episcopus, et remoto tunc baldachino, deposita mitra per aliquem Capellanum aut Canonicum, si sit ante Ss. Sacramentum, etiam clausum in tabernaculo, et facta genuflexione usque ad terram ante ipsum Ss. Sacramentum, genuflectet, iterum super pivino ibidem parato in genuflexorio, orabit; deinde surget, et facta iterum reverentia cum genuflexione Sanctissimo Sacramento, accipiet mitram, et procedet ad altare majus; ubi ante infimum gradum, deposita mitra, faciet cruci super altare positæ reverentiam, caput profunde inclinando, deinde genuflectet super

pulvino et genuflexorio ibi parato, et orabit; et interim ille dignior, ut supra indutus, accedet ad altare, et in cornu Epistolæ, in anteriori parte super suppedaneum, stans quasi versus orantem Episcopum, finito Hymno *Te Deum laudamus etc.* cantabit ex libro super altare posito versiculum *Protector noster etc.* et alia prout in Pontificali Romano. Post orationem Episcopus surget a faldistorio et facta altari reverentia, accepta mitra, ibit ad sedem suam Pontificalem, in qua sedens recipiet omnes Dignitates, Canonicos, et alios de Capitulo ad osculum manus, cantoribus interim Antiphonam vel Psalmum aliquem cantantibus, vel organista organum pulsante. Deinde accedet Episcopus ad altare, quod, deposita mitra ante infimum gradum, et facta iterum cruci reverentia, in medio osculabitur, et cantata prius Antiphona Sancti Tituli Ecclesiæ cum suis Versiculo et Responsorio a choro, vel cantoribus, cantabit ipse in cornu Epistolæ orationem ejusdem Sancti; qua finita accipiet mitram, ad medium altaris revertetur et dabit benedictionem solemnem, cantando prout inferius habetur *cap. XXV. lib. I. de forma dandi benedictionem solemnem etc.* eo modo, quo datur in fine Missæ.

6. Deinde facta prius cruci reverentia, assumpta mitra, si est Archiepiscopus, vel alius crucem ante se habens, et apud sedem suam depositis paramentis, et assumpta cappa, procedet ad locum suæ habitationis; quem dignior ille de Capitulo, dimisso pluviali, et alii Canonici in habitu canonicali comitentur, si habitatio erit contigua vel vicina ecclesiæ; si vero distantior, usque ad portam ipsius ecclesiæ. Quod si adesset aliquis magnus Princeps, qui vellet Episcopum usque ad portam hospitii comitari, debet Episcopus aliquantulum resistere; non tamen hujusmodi obsequii et pietatis officium omnino recusare, præsertim si habitationis locus non multum distet; sed ei pro tali humanitate gratias agere.

7. Si contingeret, dum Episcopus ad suam civitatem proficiscitur, transire per aliquem locum insignem suæ diocesis, vel in eo hospitari, et Clerus ac Magistratus ejus loci eum honorare cupiant, permittet quidem, ut ei obviam eant, etiam extra locum, et eum comitentur usque ad ecclesiam primariam eius loci; et facta ibi oratione, usque ad locum ubi hospitaturus est non mutato habitu itinerario; sed nulla fiet processio.

8. Quando vero Episcopus, post ingressum in civitatem propriam,

voluerit alias civitates vel oppida insignia suæ diœcesis visitare, conveniens erit, ut prima vice recipiatur cum sacra Cleri sæcularis et regularis processione. Ipse vero non erit mitra et pluviali indutus, sed equitabit super mulam ornatam pontificalibus ephippiis cum cappa et galero pontificali, et offeretur ei in porta crux osculanda, et alia omnia fient etiam in ecclesia, prout de civitate propria et primaria suæ diœcesis dictum fuit.

CAPUT III.

Vestes Archiepiscopi et Episcopi in sua provincia et diœcesi violaceæ sint ex lana, sive ex camelotto, quibus superinduet rochetum et mozzettam. Domi iisdem vestibus utendum. In congregationibus Concilii provincialis, tam Metropolitanus quam Episcopi provinciales mozzetta cum rochetto discooperto utuntur. Vestes laneæ nigri coloris in Adventu, et a Septuagesima per totam Quadragesimam, exceptis diebus solemnibus commendantur. Cappa sit lanea et coloris violacei, et aliquando ex camelotto ejusdem coloris. Cappa Episcoporum regularium sit coloris suæ religioni convenientis. Galeri episcopalis forma et color. Vestes Episcopi itinerariæ.

Episcopus postquam ad suam diœcesim et civitatem, et Archiepiscopus ad suam Provinciam pervenerit, uti poterit vestibus violaceis, sive laneis, sive ex camelotto, superinduta super rochetum mozzetta. Et domi eodem utentur habitu, saltem dum fit aliqua congregatio coram ipso Episcopo, vel ordinandorum examen, vel aliquid simiie, ac etiam quoties erunt congregationes coram Metropolitanis, dum celebratur Concilium Provinciale, quo habitu, scilicet mozzetta cum rochetto discooperto, in dictis congregationibus utetur tam ipse Metropolitanus quam alii Episcopi provinciales, qui ibidem pro synodo celebranda convenerunt.

2. Eodem quoque habitu Episcopus indutus erit quoties per civitatem et terras seu oppida suæ diœcesis incedet. Sed habenda est distinctio temporum; nam in Adventu, incipiendo a Septuagesima, per totam Quadragesimam, item in omnibus Vigiliis, quibus jejunatur, et in Quatuor Temporibus (exceptis iis, quæ incidunt post Pentecosten), ac sextis Feriis totius anni, differens erit vestium gestatio. Quia tunc Episcopum decet uti vestibus laneis et nigri coloris, excipiendo tamen aliquot dies, et quibus signum mœ-

stitiæ ostendi non debet; videlicet a die Nativitatis Domini, et per totam octavam Epiphaniæ; a die Dominicæ Resurrectionis, usque ad Dominicam Ss. Trinitatis; item per octavas Festorum Ss. Sacramenti, Assumptionis gloriosæ Virginis Mariæ, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum, Titularis Ecclesiæ Cathedralis et Sancti Patroni Civitatis, ac Dedicætionis propriæ Ecclesiæ; item in anniversariis electionis et consecrationis ipsius Episcopi: die adventus alicujus magni principis; vel cum celebratur aliqua publica lætitia: in aliis vero octavis, ut Nativitatis gloriosæ Virginis, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, dies tantum octavarum excipiuntur; similiter omnia festa duplicia, quæ per annum incidunt extra Adventum, Septuagesimam, et Quadragesimam; sed Annuntiationis festo, etiamsi infra Quadragesimam occurrat, vestibus violaceis uti debent. Hæc quæ dicta sunt, circa vestes quotidianas observanda sunt.

3. Quoad cappas vero, quibus Episcopi in propriis ecclesiis utuntur, id erit observandum, ut regulariter sint laneæ et violaceæ, et non alterius coloris. In solemnioribus tamen festis, quæ in Rubricis Breviarii primæ classis vocantur, dempto triduo ante Pascha, poterit Episcopus uti etiam cappa ex camelotto coloris violacei, nullatenus alterius coloris, quibus quidem cappis pelliculæ circa collum et pectus de more consutæ sint, quæ deinde Vigilia Pentecostes, seu pro diversitate locorum citius aut tardius, prout Episcopo opportunum videbitur, præintimatis etiam Canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, remouentur, et loco pellicularum sericum rubrum apponitur. Canonici vero regulariter in ecclesiis, ubi illis utuntur, eas deponunt, et loco eorum assumunt cottas supra rochetum.

4. Ceterum quod dicitur de hujusmodi Episcoporum habitu, tam capparum, quam ceterarum vestium, non est intelligendum de Episcopis regularibus qui non mutant colorem sui habitus, neque induunt rochetum, sed in ecclesia propria uti debent cappa coloris suæ religioni convenientis, pellibus, seu serico laneo ejusdem coloris suffulta. Excipiuntur ab hac regula clerici regulares, et, uti dictum est *cap. I. lib. I.*, canonici regulares qui rochetto utuntur et colore violaceo, ut et presbyteri S. Spiritus, et militiarum S. Joannis, S. Jacobi, et aliarum.

5. Omnes autem, tam sæculares quam religiosi Episcopi, ga-

lero utuntur a parte exteriori nigro, cui ab interiori sericum coloris viridis suffulciatur, chordulis pariter et floccis sericeis viridibus ab eo pendentibus. Galerus quoque duplicis formæ habendus est, alter, quo in solemnioribus equitationibus utuntur, ejusdem formæ, præter colorem, quo Eminentissimi Cardinales pontificaliter equitantes uti consueverunt; alter simplicior: uterque ex lana ac serico viridi exornati.

6. Extra Diocesim et Ecclesiam suam Episcopi non utuntur cappa, præterquam in Romana curia, cum in divinis, Pontifice Maximo vel sacro Cardinalium Collegio præsentem, assistunt. Dum iter agunt, utuntur brevioribus vestibus cum manicis sub genu per palmum, vel ultra protensis, coloris temporum diversitati convenientis, ut supra explicatum fuit; circa collum vero fasciam sericam coloris nigri latitudinis duorum palmorum, vel circa, longitudinis fere ad mensuram vestium pendentium habere consueverunt. In Diocesi autem, vel Provincia, mozzetta superinduenda est sine prædicta fascia.

CAPUT IV.

Archiepiscopus et Episcopus in sua Provincia et Diocesi singulis benedicunt. A benedictionibus abinent, præsentem Cardinali Legato de latere, ac etiam Cardinali non Legato. Cardinalis Archiepiscopus et Episcopus, celebrans coram Cardinali non Legato, omnes benedictiones dat. Episcopus, suo Metropolitano præsentem, a privatis benedictionibus abinet. Quid præstandum ab Episcopo, si adsit Nuntius Apostolicus, habens in eo loco facultates Legati de latere. Quid si sit simplex Nuntius, aut Collector generalis, vel facultates Legati ibidem non habeat. Quæ urbanitas a Legatis, Cardinalibus, Metropolitanis, aut Nuntiis exercenda sit erga Episcopum, ut munia episcopalia obire possit. Episcopi semper civitatum Gubernatores et Magistratus antecedunt. Quomodo Episcopi obviam ire debeant Cardinali Legato, vel non Legato.

Quando Episcopus ambulat, vel equitat per suam civitatem, vel Diocesim, manu aperta singulis benedicit; et si est Archiepiscopus, crucem etiam ante se deferri facit. In ecclesiis vero suæ Diocesis, vel Provinciæ, etiam exemptis, dabit benedictionem solemnem, aliaque omnia ad officium suum pertinentia faciet, prout passim suis locis declarabitur: sed si contingat Cardinalem Legatum de latere esse simul cum Episcopo in ejus Diocesi, vel Ar-

chiepiscopo in ejus Provincia, abstinebit Episcopus non solum a benedictionibus solemnibus, sed etiam privatis, et si erit Archiepiscopus, nullatenus permittet ante se deferri crucem, etiamsi ipse Archiepiscopus esset Cardinalis.

2. Quod si esset præsens Cardinalis non Legatus una cum Episcopo non Cardinali, abstinebit simili modo Episcopus non celebrans ab omnibus benedictionibus, nec crucem sibi præferri permittet, si erit Archiepiscopus, remittens omnia munia episcopalia exercenda ipsi Cardinali præsentis: celebrans vero Episcopus debet per aliquem suum Capellanum Cardinali præsentis significare, ut omnia prædicta munia exercere, et benedictiones dare dignetur: quæ si Cardinalis facere, et exercere ex urbanitate noluerit, poterit Episcopus celebrans prædicta omnia adimplere.

3. Si vero Episcopus ipse esset etiam S. R. E. Cardinalis, et non celebraret præsentis alio Cardinali, debet ipse Cardinalis Episcopus alium Cardinalem præsentem rogare, ut omnes benedictiones thuris, aquæ et ministrorum faciat, ac in fine populo solemniter benedicat: quæ si Cardinalis præsentis facere recusaverit, poterit ipse Cardinalis Episcopus prædicta omnia vel remittere ad celebrantem, vel ipse exercere; dummodo quando in fine populo solemnem benedictionem daturus erit, non stet apud sedem, sed propter reverentiam Cardinalis præsentis accedat ad altare, et inde populo solemniter benedicat.

4. Si vero ipse Cardinalis Archiepiscopus vel Episcopus celebraret, præsentis alio Cardinali non Legato; ipse Cardinalis Archiepiscopus, habens ante se crucem, populo solemniter benedicet, omnes benedictiones et alia munera archiepiscopalia vel episcopalia dabit, et exercebit ipse Cardinalis celebrans. Præsente vero, seu adveniente suo Metropolitano, cessabit Episcopus a benedictionibus privatis. Sed propter adventum alterius Episcopi non cessabit obire sua munia prædicta, nec relinquet sua insignia, licet in ceteris honorifice eum tractare et recipere debeat, ac domi ponet eum a dextris, secus extra domum. Si erit præsentis Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de latere, Episcopus ab iisdem abstinebit, a quibus illi cavendum esse dictum est, præsentis Cardinali non Legato. Sed si non habeat hujusmodi facultates, sed sit simplex Nuntius aut Collector generalis, vel etiam si habeat facultates, non tamen in ea civitate vel loco ditioni episcopali su-

bjecto, Episcopus fungetur officio suo, neque ob ejus præsentiam sua munia intermittet. Quod si præsens fuerit Visitator Apostolicus Episcopus vel non Episcopus, et sit in loco suæ jurisdictionis, exhibendi erunt ei honores, qui *cap. XIII. et XXIII. lib. I.* præscribuntur. Archiepiscopi porro, eodem Visitatore in locis demandatæ visitationis præsentem, poterunt ante se crucem deferre. Episcopi etiam, Cardinali Legato, vel non Legato, in eorum civitate episcopali seu in Diœcesi commorante, ab usu mozzettæ non teneantur abstinere.

5. Ut autem Episcopus commodius sua munia episcopalia exercere valeat, puta consecrare, ordinare, conficere oleum sanctum, et similia facere, ex urbanitate Legatus, seu Cardinalis, Nuntius, aut Metropolitanus in civitate præsentem, hujusmodi actibus intervenire non curent: ne ob eorum præsentiam et dignitatem, vel Episcopus a necessariis functionibus episcopalibus abstinere cogatur, vel saltem interposita mora, et majori cum difficultate actus prædicti executioni demandentur.

6. Gubernatoribus vero civitatum præsentibus, præeminentia semper sit Episcopi, tam intra quam extra ecclesiam. Magistratus vero, et alios magnates, et viros nobiles, et præcipue Principes magnos et potentes, Episcopus pro eorum qualitate et gradu honorabit, non tamen ob eorum præsentiam cessabit umquam a suo officio, neque ita illis sese submittet, ut qui Patris locum tenet, ministri munus subire videatur, sed memor sit dignitatis suæ, quæ tantopere illi ex Tridentini Concilii gravissimo decreto commendatur.

7. Si vero Episcopus obviam iret alicui Cardinali Legato vel non Legato ad ejus civitatem advenienti, usque ad portam, vel extra eam, vel etiam si cum eisdem per urbem incederet, induet supra rochetum manteflettum, et abstinebit a delatione crucis ante se, si erit Archiepiscopus, ob reverentiam officii et dignitatis illius. Et si erit Cardinalis Legatus, abstinebit etiam ab usu mozzettæ. Secus si alicui maximo Principi, aut dignissimo Prælato, vel Nuntio Apostolico obviam iret, quo casu non mutat habitum. Equorum autem, seu mularum stragulæ, et phaleræ, et ornamenta, Episcopo equitante, ex panno laneo coloris nigri, seu violacei, ut supra, plus minusve composita erunt prout ipse Episcopus solemnitus aut simplicius equitabit, nisi paratus pontificaliter equitaverit.

CAPUT V.

Duo magistri Cæremoniarum ab Episcopo statuendi. Quales esse debeant. Eorum munia in parandis iis, quæ ad celebranda divina Officia ac Mystera, Cardinales, Principes, Ducesque excipiendos, pertinent. Eorum habitus. Sessionum ordines disponant. Stipendium eis constituatur.

Antequam Cæremoniarum regulæ et usus explicentur, de ipsis Cæremoniarum magistris, quorum ministerio et cura omnia ecclesiastica munia obeunda sunt, statuendum est. Curabit ergo Episcopus, ut duo, si fieri possit, de gremio suæ ecclesiæ, aspectu et statura corporis convenienti, et multo magis scientia et bonis moribus præditi, experti et dociles ad ejusmodi onus assumantur, quorum primus vigesimum quintum saltem attingat annum, sitque in presbyterali ordine constitutus, bonis artibus instructus et, si fieri possit, juris canonici, vel theologiæ intelligentiam habeat, divinorum officiorum ac rituum ecclesiasticorum assiduus et diligens scrutator. Is erit in primis sollicitus circa personam Episcopi, aliarumque personarum dignitate aut nobilitate præstantium, ut eis præsto sit, si quid petant, aut si qua de re admonendi erunt: ac nihilominus omnia circumspiciat, singulorum munia perpendat.

2. Quando autem erunt celebranda officia, quæ non ita frequenter occurrunt, et quæ solemniori ritu apparatusque peragi solent, præsertim quando ad ea accederent Magnates, ut Cardinales, Principes, Duces, et similes, per diem, aut plures dies antea præsens videat, et intelligat, an omnia recte disposita et ordinata sint, quæ ad celebrationem spectant, nempe an ecclesia, altare, abacus, sedes pontificalis, Canonicorum Magistratumque sedilia sint decenter apparatus ornataque, an cetera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacræ vestes, paramenta et vasa, candelabra, cerei, funalia, aliaque utensilia, sint suo quæque loco præparata, et congrue disposita juxta normam et regulas, quæ sequentibus capitulis tradentur: nec gravetur aliquando, cum viderit necessarium, etiam suis manibus adjuvare ministros, ceterosque omnes, quorum opera uti oportebit; præmoneat atque instruat quos opus fuerit, exhibitis etiam schedulis; si quid enim erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni Cæremoniarario imputari solet.

3. Alter vero junior, qui saltem in sacro ordine sit constitutus, præcipuam curam geret circa personam celebrantis ac ministrorum illius: cumque opus erit aliquos ducere, aut reducere, faciat id modeste et discrete, submissa voce, ac solo nutu, si fieri possit, quæcumque agenda sint, demonstrans; non discurrat velociter, non caput volvat, aut manus jactet indecenter: caveat demum, ne in suis actibus affectationis vitio notetur; sed quidquid aget, cum gravitate et congruenti mora, ac cum decore corporis gestu, ita peragere curabit, ut ceteris devotionem et reverentiam pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur; unus tamen alterius defectum, cum opus erit, modestia ac silentio corrigere et supplere studeat; ambo simul convenient, antequam in ipso rei gerendæ actu sint; prævideant, quæ sint agenda, ac onera inter se partiantur concordisque sint, ne reprehendi ab aliis jure possint, qui docere et instruere omnes debent. Satius enim est unum quam plures esse, nisi fuerint concordēs.

4. Eorum habitus sit honestus et clericalis, ipsaque vestis inferior, ubi commode fieri possit, coloris violacei, super quam, dum divina officia celebrantur, cottam mundam induent. Ad eorum quoque officium spectabit, præsertim ubi non adest particularis magister chori, curare, ut intra chorum nulla fiant colloquia, nec sint, qui risu, aliove incomposito seu minus modesto actu rem divinam turbent; non qui cum ceterorum scandalo dormiant; litteras aut alias scripturas legant; sed nec libros aut ipsum Breviarium aut Diurnum in manibus habeant, aut ex illis privatim horas aut orationes recitent, sed illas alta voce una cum choro dicant aut cantent, et ab id librum habere permittantur; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstrat, ut cum alii stant, aliquis sedeat, vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter divinis mysteriis atque officiis assistere, eaque toto cordis affectu admirari et contemplari videantur, ac silentium diligenter servetur.

5. Quæ omnia, ut sine contradictione quietius perficiantur, Episcopi cura erit omnes, tam Canonicos quam alios de choro præmonere, ut ipsis Cæremoniariis in his quæ ad cultum divinum spectant, sine contradictione obediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed et oculos in ipsos convertentes observent; et illico

illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu, quid agendum sit significantibus, statim pareant.

6. Alia vero nonnulla, quæ ad ipsum Cæremoniarum officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum et ad altare ducere et reducere diaconum, et subdiaconum, aliosque omnes, tam majores quam minores ministros, quorum opera in re sacra aut alibi requiritur, inferius suis quæque locis in operis cursu exponentur. Si ecclesia sit ampla, et numero Clericorum ac Beneficiarum abundans, possent arbitrio Episcopi, aut juxta consuetudines ecclesiarum, aliqui ex ejusdem ecclesiæ gremio subministri adhiberi, qui in aliquibus casibus, tam in choro quam extra, ipsos Cæremonarios adjuvarent; velut indicendo silentium populo, atque occurrendo, quoad valerent, tumultui et scandalis, quæ forte in ipsa ecclesia oriri possent; atque etiam circumspiciendo per totam ecclesiam, ne quid indecenter fiat; neve extinguantur lampades et cerei; aut ne flamma ex cereis ultra modum profluat, vel quid indecorum super altaribus aut aliis in locis eveniat.

7. Item viros a mulieribus, cum commode fieri potest, distinguendo et separando, ordinem sessionum inter laicos advertendo, eosque admonendo, quando surgere, sedere vel genuflectere debeant; aliaque hujusmodi prævidendo et operando, prout opportunum erit: atque a dictis duobus Cæremoniariis, cum opus erit, admonebuntur; quibus præterea subditi et obedientes esse debeant, et ut ab omnibus cognoscantur, eorumque officium commodius ac majori cum auctoritate exercere et exsequi valeant, posset eis concedi usus aliquarum ferularum serico vel panno tectarum, cum aliquibus ornamentis aut insignibus sancti Patroni, vel Ecclesiæ, vel Episcopi componendarum, quas semper manibus gestarent.

8. Ut autem ipsi Cæremoniarum magistri necessariis rebus pro victu et vestitu juxta eorum statum non indigeant, animumque diversis curis et perturbationibus defatigare et distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti, omni studio et diligentia, ac toto pectore in commissam ipsis curam, et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus, ut ipsis constituatur aliquod certum et competens stipendium; et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria; item aliquibus privilegiis et prærogativis decorentur, ut promptiori animo suo muneri satisfaciant, ac libros necessarios sibi parare possint, videlicet, Ponti-

ficale, Cæremoniale Episcoporum, librum de mysteriis Missæ Innocentii Papæ III., Rationale divinorum Officiorum, Joannem Stephanum Durantum de ritibus ecclesiasticis, diversosque alios auctores de Officiis divinis, tam antiquos quam recentiores, aliosque plures, quos sibi opportunos judicabunt, ut non solum actione et opere sint parati, sed etiam cum opus fuerit, de his, quæ fiunt, rationem reddere, quoad ejus fieri possit, valeant.

CAPUT VI.

Sacrista in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis constituendus. Qualis eligendus, et quæ ejus partes ac munia.

Officium Sacristæ in singulis Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis pernecessarium est: idcirco in Sacristam eligendus est, qui ad hujusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus merito censeri possit. Assumendus autem est de gremio ipsius ecclesiæ, vel aliunde, prout magis expedire videbitur, qui in sacerdotali ordine sit constitutus, et cui præsto esse debent alii clerici coadjutores, plures vel pauciores, pro ecclesiæ necessitate et facultatibus.

2. Ejus præcipua cura erit, ut paramenta sacra, vasa, libri, cerei, ornamenta, instrumentaque pro usu ecclesiæ et altarium, ac reliqua præterea supellex ecclesiastica, sana, integra et munda conserventur, eaque, cum attrita aut lacera erunt, renovari, aptarique procuret. Sed in primis, ubi alias talis cura peculiariter non sit commissa alteri, diligentissime curabit, ut ea, quæ ad sacrosanctæ Eucharistiæ cultum et honorem spectant, nitide conserventur, locusque, seu tabernaculum, ubi custoditur, diligentissime et fidei clavibus obseretur; lampades circa illam perpetuo ardeant; illaque saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur; ad infirmos debita cum reverentia et honore deferatur. Pariter et circa fontem baptismalem et sacri chrismatis aliorumque sacrorum oleorum conservationem, diligentissimam curam adhibebit, juxta præscriptam sibi ab Episcopo et aliis, ad quos spectat, normam. Et quod ad sacrum oleum infirmorum attinet, procuret illud in vase ab aliis separato custodiri, illudque solum ab aliis sejunctum ad unguendos

ægrotos deferri. Idem et de sacris sanctorum Reliquiis dicitur, ut scilicet fideliter et honorifice asserventur. Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, ac denique, ut tota ecclesia et singula illius sacella et altaria semper munda et nitida sint, nec per incuriam obsordescant.

3. Curabit etiam pro tempore, dierumque festorum qualitate, ut ea decēter ornentur, prout latius infra *cap. XII. hujus libri* dicitur. Cum Missæ et cetera divina officia solemniter celebranda erunt, sive per Episcopum, sive per alios, ipse peculiarem curam geret, ut altare majus, credentia, tribuna, chorus et secretarium, ubi Episcopus sacris vestibus paratur, necessariis rebus et ornamentis, quæ in eodem capitulo exprimuntur, instruuntur opportune, ne eorum aliqua deesse contingat; in quibus perquirendis et expectandis, indecenter atque incommode tempus non teratur. Aderit apud altare in cornu Epistolæ, cum oblata erunt offerenda; et prægustabit de hostia, vino et aqua porrigente Diacono. Ad eum etiam spectat, ut per campanarum sonum indicentur horæ Vesperarum, Matutinarum et Missæ ac reliquarum Horarum canonicarum; item cum in Missa majori elevatur Ss. Sacramentum, vel quando illud ad infirmos deferendum est; et ut matutino, meridiano ac vespertino tempore diebus singulis salutationis angelicæ signum detur. Demum, ut ab ipsa sacristia laicorum nimia frequentia, indecentes sermones, jurgia, rixæ actusque profani removeantur, diligentiam adhibeat: ut Sacerdotes Missas celebraturi opportuno tempore et ordine exeant, pro populi personarumque concursu.

4. Ad ipsum spectabit eleemosynas, quæ pro Missis celebrandis dantur, custodire et adnotare in libris sacristiæ, et inter illos, ad quos spectat, distribuere. Habeatur tabella, in qua descriptæ sint Missæ et Anniversaria infra annum statutis diebus celebranda, ut omni exacta diligentia benefactorum intentioni satisfiat. Invigilet idem Sacrista, ut mantilia, pro manibus Sacerdotum, qui celebraturi sunt, in promptu habeantur, eaque sint munda et nitida: denique alia providere studeat, quæ secundum ecclesiæ ritum et consuetudinem providenda erunt. Ut vero magis accurate tam Sacrista quam ipsius adjutores munus suum adimpleant, optime factum erit, si unus vel duo ex Canonicis eis præficiantur singulis annis, vel sæpius, uti plus expedire videbitur, mutandi, ut sic per vices majorem de rebus Ecclesiæ suæ notitiam assequantur.

CAPUT VII.

Dignior ex presbyteris Episcopo rem divinam facturo assistat. Sedeat prope Episcopum. Ejus munia, tam in Vesperis quam in Missis, Episcopo celebrante.

Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis et assistunt et serviunt, primus et dignior est presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex presbyteris, tam Canonicis quam Dignitatibus, qui in choro cum aliis sedere solent; nec refert quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter; sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus et in Sacerdotio constitutus, atque in sacerdotalibus officiis expertus; ut digne et decenter officium suum exercere valeat, et opportune Episcopo, rem divinam agenti, ministrare possit. Igitur Episcopo, officium in Vesperis facturo, ipse simul cum aliis Canonicis capiet paramenta, videlicet amictum super rochetto, aut cotta, et super eo pluviale, tempori congruum, sine tamen formalio ad pectus, et cum Episcopus paratus erit sacris paramentis, ipse imponet ei anulum. Cum vero Episcopus primam Antiphonam erit intonaturus, ipse librum supra caput sustinere debet, quem ministri, alias de libro et candelâ servientes, adjuvabunt.

2. Intonata ergo prima Antiphona, eaque per Chorum completa, inceptoque primo Psalmo, sedebit in aliquo scabello prope Episcopum, ante ipsius faciem a dexteris, vel a sinistris, prout loci situs patietur; regulariter tamen a dextris, dummodo nec altari, neque Episcopo renes directe vertat, sed maneat semiconversus. Tertiam Antiphonam ipse presbyter assistens, stans in eodem loco, ac præintonante sibi illam subdiacono vel alio ministro, intonabit voce intelligibili. Cum Episcopus erit intonaturus Hymnum, eodem modo librum sustinebit, prout de prima Antiphona dictum est: quo intonato, redibit ad locum suum, stans ibi usque ad finem Hymni. Idem faciet, cum Episcopus intonabit Antiphonam ad *Magnificat*; qua intonata, et Episcopo sedente, capiet naviculam incensi de manu acolythi, illamque cum cochleari prius deosculato, ac manu quoque illius osculata, porriget Episcopo, ut ex ea imponat incensum in thuribulum, more solito, dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime*. Quo facta, reddet naviculam acolytho, et exspectabit stans, vel sedens,

quousque inchoetur *Magnificat*; quo Cantico incepto, præbit ante Episcopum ad altare euntem, ubi, postquam ille osculatus fuerit altare, offeret ei thuribulum ab acolytho acceptum, cujus catenularum summitatem ipse manu dextera tenens, eamque deosculans ad sinistram Episcopi porriget; thuribulum vero, quod ipse manu sinistra sustinet, in dextera Episcopi collocat, quam deosculatur; ac finita thurificatione, stans in cornu Epistolæ, recipit thuribulum de manu Episcopi, osculando prius ejus manum dexteram, illudque acolytho dat. Cum Episcopus redierit ad sedem suam, tunc ipse stans ante infimum gradum solii episcopalis, recipit thuribulum de manu acolythi, et thurificat triplici ductu Episcopum stantem cum mitra; cui Episcopus benedicit, ac rursus, deposito thuribulo in manu acolythi, ipse accedit ad sedem suæ assistentiæ, et ibi stans thurificatur a subdiacono, vel, eo deficiente, ab acolytho duplici ductu thuribuli. Cum Episcopus canfaturus est orationem, accedit et sustinet librum, ut alias; deinde revertitur ad locum suum.

3. Cum vero Missa solemniter ab Episcopo erit celebranda, ejus præcipua cura erit, totam Missam prævidisse, omnesque cæremônias et actus, quos Episcopus facturus est, observasse, ac signacula in libro Missali, in quo lecturus est Episcopus, locis congruis disposuisse, ut præsto illi esse possit, suggerendo illi submissa voce, vel modesto nutu indicando, si in aliquo forte, vel memoriæ lapsu, vel alia de causa deficeret, aut titubaret; præsertim apud altare, dum sacrosancta mysteria peragit. Igitur ipsa die, qua Missa celebranda erit, cotta vel habitu suo canonicali indutus, postquam Episcopum ad ecclesiam venientem comitatus fuerit, opportune aderit apud eum in secretario; et incepta hora Tertiæ, atque incipiente Episcopo legere Psalmos *Quam dilècta etc.* cum aliis sequentibus, ipse ad ejus sinistram stans alternatim respondebit, duobus quoque diaconis assistentibus pariter cum ipso respondentibus; et lavante Episcopo manus, porriget ei mantile ad tergendum. Circa finem Tertiæ induet se amictu super rochetto, aut cotta, et super eo pluviali, et sic paratus sustinebit librum supra caput, cum Episcopus cantabit Orationem Tertiæ. Episcopo, omnibus sacris paramentis induto ac sedenti, imponet anulum pontificalem in digitum annularem dexteræ manus, illius annulo et manu prius deosculatis; mox naviculam incensi cum cochleari eidem ministret, ut imponat thus in thuribulum, antequam a secretario discedat. Cum autem Episcopus procedit versus

altare, ipse ante illum incedit ad dexteram diaconi Evangelium cantaturi, et cum Episcopus ante infimum gradum altaris, facta cruci reverentia, incipit confessionem, ipse, ad ejus dexteram stans, respondebit simul cum diacono stante a sinistris; et dum dicet in confessione *Tibi Pater*, et *Te Pater*, profunde versus Episcopum caput inclinabit.

4. Finita confessione et osculato per Episcopum altari, dum subdiaconus in cornu Evangelii porrigit librum Evangeliorum osculandum Episcopo, ipse adjuvat, manum ad librum apponendo, deinde retrahit se extra cornu Evangelii dum Episcopus thurificat altare: et redeunte Episcopo ad sedem suam, ipse eum præit, et apud eum stat. Cum Episcopus, lecto Introitu Missæ, dicit *Kýrie eléison*, ipse simul cum eo ac duobus diaconis assistentibus idem dicit; sedente vero Episcopo, et ipse sedet super scabellum a dexteris vel a sinistris, prout supra de Vesperis dictum fuit. Si vero forte Episcopus celebrans non in sede propria, sed in faldistorio sederet, tunc ipse presbyter assistens sedebit in aliquo scamno prope altare, versus cornu Epistolæ, simul cum diacono et subdiacono ad sinistram Episcopi; sustinebit deinde librum supra caput, cum ex eo Episcopus erit cantaturus *Glória in excélsis* et *Credo*, quæ cum eo et duobus diaconis assistentibus submissa voce prosequitur. Adjuvabit eodem modo, prout de prima lotionem dictum est, ad lotionem manuum, quoties opus erit in Missa, idest, post offertorium, post oblationem et post communionem. Si sermo habebitur per Episcopum, ipse sedebit a dextris Episcopi cum diacono a sinistris, remanente interim subdiacono in suo scabello, si Episcopus erit in faldistorio ante altare. Si vero habebit sermonem in propria sede, sedebit in scabello suæ assistentiæ. Finito sermone, ac confessione per diaconum decantata, ipse Indulgentias pronuntiabit in forma, prout suo loco dicendum erit. Si vero sermo habendus erit per ipsum presbyterum assistentem, vel per aliquem Canonicum, qui eo casu servire debet Episcopo in officio presbyteri assistentis cum pluviali, etiamsi non sit ex antiquioribus et dignioribus Canonicis, finito Evangelio, accedet ad osculum manus Episcopi, et profunde inclinatus ab eo petet benedictionem, et sic paratus ascendet ambonem sive pulpitem, et sermonem habebit, ac finita confessione per diaconum, ipse in eodem pulpito adhuc stans, publicabit Indulgentias in forma.

5. Lecto per Episcopum Offertorio ac lotis manibus, ipse portabit librum cum pulvino ad altare comitante Cæremoniaro; vel præmittet ministrum de eo servientem, ut ipse præsto sit ad lotionem manuum Episcopi. Cum Episcopus revertitur ad altare, ipse a sinistris illum gradus altaris ascendentem adjuvat, et cum erit apud altare, accurate et opportune demonstrabit Episcopo omnia et singula quæ ex libro erunt legenda, ea digito indicando. Dum autem Episcopus oblata et altare thurificabit, ipse sumpto libro Missali cum pulvino retrahit se extra cornu Evangelii, ne thurificationem impediatur, et finita thurificatione altaris, reponet librum cum pulvino super eo, ostendens ex illo, quæ successive erunt dicenda; ac dicit simul cum Episcopo *Sanctus etc.* nec genuflectet, nisi cum elevatur Sacramentum, et cum Episcopus ipse genuflectit. Dicit *Agnus Dei etc.* cum Episcopo celebrante et diacono: quo dicto, locum permutat cum diacono; ipse enim accedit ad dexterum, diaconus vero ad sinistrum latus Episcopi, cui relinquit curam libri. Ipse vero presbyter assistens, dicta per celebrantem Oratione *Dómine Jesu Christe, qui dixisti etc.* genuflectit, et statim surgit, osculando altare simul cum Celebrante, qui sinistram genam suam cum sinistra ipsius presbyteri assistentis approximans, dat ei pacem dicens: *Pax tecum*, cui ipse respondet: *Et cum spiritu tuo*. Et iterum ante Sacramentum genuflectens et statim surgens, recedit cum Cæremoniaro ad pacem dandam in choro, juxta ordinem in suo particulari capitulo descriptum.

6. Advertat autem, ne cuiquam Canonico, neque alteri etiam Principi, quantumlibet magno, priusquam ei pacem det, ullam reverentiam faciat, sed solum post datam ei pacem, quæ reverentia solis Canonicis, Magistratui et Principibus convenit, quando assistens, qui pacem defert, est Canonicus. Dum autem eundo et redeundo ad chorum transit ante Episcopum vel altare, servabit debitas reverentias vel genuflexiones, prout ei a Cæremoniaro monstrabitur, ac prout latius in capitulo *De reverentiis* exprimitur. Data pace, quibus per ipsum danda est, dat eam ultimo loco Cæremoniaro, qui eum duxit, et redit ad altare, ubi transfert librum a cornu Evangelii ad cornu Epistolæ, nisi jam translatus esset a diacono, et adjuvat ad lotionem manuum Episcopi, ut alias; deinde redit ad librum, ostendens Episcopo cetera, quæ supersunt; et data benedictione, si Indulgentiæ non fuerint publicatæ, quod contingit quan-

do non fuit habitus sermo, eas tunc, petita prius licentia ab Episcopo, publicat in forma.

7. Episcopo vero non celebrante, sed Vesperis aut Missæ solemni per alterum cantatæ præsentē, tunc presbyter Canonicus dignior post Dignitates assistat, prout et duo Canonici diaconi, sed in habitu canonicali sine paramentis, cujus officium tunc erit ministrare Episcopo naviculam incensi, quoties benedicendum et in thuribulo ponendum erit, et eundem Episcopum thurificandi post Evangelium et post oblata, et si est paratus cum mitra, etiam in initio Missæ: et post *Agnus Dei* accipere pacem, eamque deferre Episcopo, qui statim eam dat duobus diaconis assistentibus: ipse vero reversus ad sedem suam in choro, illam dabit subdiacono, qui eam ceteris det; nisi celebraret aliquis Prælati, qui haberet proprium assistentem, quem tali casu convenit pacem accipere a Canonico presbytero assistente, et distribuere ceteris; et habebit locum idem presbyter assistens prope sedem Episcopi in scabello, ut alias, usque dum inchoatur Præfatio, nisi dum fiunt circuli, ad quos ipse accedit cum aliis, et dum habetur sermo, quo tempore accedit cum aliis ad locum suum.

CAPUT VIII.

Duo Canonici in habitu diaconi Episcopo celebranti assistunt. Eorum officium in Vesperis et Missa solemni. Episcopo non celebranti assistunt in habitu canonicali.

Episcopo, sive Missam celebret, vel ad Vesperas officium faciat, vel si illis tantummodo sit præsens, convenit duos assistere Canonicos, qui, si in ecclesia sint distincti ordines, seu præbendæ presbyterales et diaconales, erunt duo primi Canonici ex ordine diaconali. Quod si forte in aliqua ecclesia nec Dignitates, neque ordines distincti essent, tunc erunt duo primi Canonici, vel Dignitates immediate sedentes post primam Dignitatem vel primum Canonicum.

2. Hi autem, si Episcopus celebret, aut officium faciat, induti esse debent habitu diaconali, hoc est dalmatica super rochetum, si ejus usum habeant, sin minus, super cottam et amictum: ac sedente Episcopo in sua cathedra episcopali, ipsi sedent hinc inde super sca-

bellis nudis; ac procedente Episcopo a secretario ad altare, et ab altari ad sedem, et rursus a sede ad altare, ipsum medium facientes, ac fimbrias anteriores pluvialis hinc inde sublevantes, quando eo utitur, etiam apud altare, cum illud incensat, et, si opus erit, ejus brachia sustentantes, deducunt; videlicet senior, sive dignior illorum a dexteris, alter a sinistris, capitibus detectis; et debent Episcopo solemniter celebranti assistere ultra alios duos, qui serviunt illi in officio diaconi et subdiaconi, pro Evangelio et Epistola cantandis, de quorum officio et habitu paulo post dicetur in sequentibus capitibus. Quod intelligendum est, quando Episcopus celebrans sedet in sua sede et solio episcopali; secus si sederet in faldistorio, quia tunc non requiritur alia assistentia nisi presbyteri assistentis et prædictorum diaconi et subdiaconi, ad Evangelium et ad Epistolam in Missa servientium, qui eo casu supplent apud Episcopum loco illorum, imponendo et auferendo illi mitram et chirothecas, aliaque omnia faciendo, quæ ipsi duo diaconi assistentes, cum Episcopus residet in sede sua pontificali, facere solent, prout statim inferius dicetur.

3. Officium ergo prædictorum diaconorum assistentium est, ut cum Episcopus in Vesperis genuflectit ante altare super faldistorium, ipsi aptent hinc inde decenter latera pluvialis super eo; et junior ex eis, qui assistit ei a sinistris, aufert illi mitram, quam dat ad manus ministri, de ea servientis; alter vero a dextris aufert ei biretum, complanando leniter capillos. Cum vero Episcopo mitra imponitur, diaconus assistens a dextris, imposito bireto, illam imponet, altero a sinistris adjuvante et vittas a tergo Episcopi aptante: et semper, quoties Episcopus apud sedem suam elevat manum dexteram signando se, aut alios signo crucis, velut cum benedicit thus, cum benedicit presbyterum assistentem, qui eum thurificavit, vel alias quoties personas, aut res aliquas benedicit, sive pectus percutiendo, aut alia de causa, toties diaconus a dextris parum elevat pluviale a latere suo, ac etiam cum thurificat altare. Cum autem elevat ambas manus, et quando est lecturus aliquid ex libro, seu daturus benedictionem solemnem, diaconi assistentes hinc inde elevat fimbrias pluvialis, et cum Episcopus cantat vel legit aliquid ex libro, ipsi diaconi assistentes hinc inde apponunt manus super librum, et primus volvit folium, alter digito indicat textum, qui legi debet: sed celebranti Missam, quia non habet pluviale, sed planetam, non est necessarium

fimbrias elevare, sed ei servient in ceteris rebus necessariis, et specialiter in ponendo et auferendo mitram, quod sæpius accidit: videlicet primo, cum pervenerit ante altare genuflexus; secundo, post thurificationem altaris in principio Missæ, cum ipse thurificatur; tertio, cum dicit Introitum et *Kýrie eléison*, cum dicit *Glória in excelsis Deo*, cum dicit Orationes; quarto, ad Evangelium, idest, statim data benedictione diacono; quinto, statim finita confessione per diaconum post sermonem, ubi sermo habetur, pro absolutione danda; sexto, ad Offertorium; septimo, cum post Offertorium ad altaris gradus pervenerit, sed hoc casu diaconus, Evangelium cantans, aufert ei mitram: et regulariter cum Episcopus est apud altare, serviet ei diaconus Evangelii; cum vero est apud sedem, serviunt ipsi assistentes, nisi ubi necessitas aliud suadeat, ut post thurificationes altaris: quia tunc primus diaconus assistens imponit ei biretum et mitram, cum diaconus Evangelii tunc sit impeditus cum thuribulo, quod de manibus Episcopi accepit, ut eum thurificet. Regulare enim est, tam in Missis quam in Vesperis, quod, existente Episcopo apud sedem suam, sedenti semper aufertur et imponitur mitra: secus quando genuflectit, pro oratione facienda; quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur, excepto casu primi accessus ad Ecclesiam, ut supra, *cap. II. §. V.* et quando est apud altare, in Missa stanti imponitur et aufertur. Hoc etiam observent ipsi assistentes, ut cum unus ex eis surgit facturus aliquod ministerium ad rem divinam spectans, pariter et alii coassistentes surgunt; cum autem sessuri sunt, nutu capitis se invicem ad sedendum invitant. Hæc, quæ diximus, observanda sunt, celebrante Episcopo solemniter.

4. Si vero non celebret, sed officio divino intersit, præfati assistentes diaconi erunt apud Episcopum in habitu canonicali, et omnia facient, et observabunt secundum regulas supradictas. Sciendum autem est, quod hujusmodi assistentia facienda est tantummodo Episcopo loci Ordinario, et nulli alteri, etiamsi sit Legatus qui in sede Episcopi sederet.

CAPUT IX.

Officium diaconi in Missa solemnī, quæ ab Episcopo celebratur. Induit Episcopum sacris paramētis. Evangelium cantat. Quando recitare debeat confessionem. Episcopum sacris paramētis exuit.

Diaconus, qui Evangelium cantaturus est, Episcopo solemniter Missam celebrante, debet simul cum aliis Canonicis Episcopum ad ecclesiam comitari, nam et ipse ex Canonicis diaconis esse debet, nec refert an sit de antiquioribus, necne, cum tale onus inter ipsos per vices, vel alias arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem ecclesiæ, distribuendum sit: et dum alii Canonici accipiunt paramenta, ipse quoque eodem loco accipiet sua, aliquo ex clericis ecclesiæ adjuvante; et primo accipiet amictum, quem in medio osculabitur, qui crucis figura carere non debet, eumque sibi aptabit circa collum, ita ut collaria tegat; mox albam et cingulum accipit, succinctus albam sibi circumcirca aptari faciat, ut æqualiter fluat; tum stolam, prius in medio, ubi crux est, deosculatam, super humerum suum sinistrum imponet, et sub suo brachio dextero firmiter alligari faciet: demum accipiet dalmaticam, nisi essent tempora, quibus ipse et subdiaconus planetis plicatis uti debeant, sicuti in *cap. XIII. et XVIII. lib. II.* explicatur; manipulum vero non hic, sed postea accipiet; qui sic paratus, simul cum subdiacono, postquam Episcopus laverit manus, stabit ad ejus dexteram, et simul cum subdiacono stante ad sinistram, capiet paramenta Episcopi de manibus acolythorum, ea suo ordine ferentium: illisque induet Episcopum modo et ordine in *cap. VIII. lib. II.* late et distincte expositis. Episcopo parato, accipiet suum manipulum; et cum Episcopus procedet ad altare, ipse immediate ibit ante illum ad sinistram presbyteri assistentis, faciet deinde confessionem cum Episcopo ante altare stans ad ejus sinistram, et cum dicit *Tibi Pater*, et *Te Pater*, conversus ad Episcopum, profunde se inclinat. Postquam Episcopus osculatus fuerit librum Evangeliorum super altare, porriget illi naviculam incensi, cochleari prius et manu Episcopi osculatis, et imposito thure in thuribulum, reddit naviculam acolytho, a quo accipit thuribulum, quod Episcopo porrigit, summitatem catenularum ponens

in manu sinistra ipsius Episcopi, thuribulum vero in dextera cum debitis osculationibus: et dum Episcopus thurificat altare, ipse brachium ejus sustentat; quo thurificato, recipit thuribulum de manu Episcopi, cum osculo manus et catenularum, et thurificat Episcopum, in cornu Epistolæ cum mitra stantem, triplici ductu, ante et post thurificationem profunde se inclinans, ac reddit thuribulum acolytho. Recedente Episcopo ab altari, ipse ibi remanet cum subdiacono, et dicente *Kýrie eléison* Episcopo, ipsi idem dicunt inter se, stantes in eodem loco versus altare; sedente postea Episcopo, et ipsi sedent in scamno aliquo parato in cornu Epistolæ altaris. Et cum Episcopus intonaverit Canticum *Glória in excélsis Deo etc.*, una cum subdiacono illud usque ad finem prosequitur.

2. Cantata per subdiaconum Epistola, cum per chorum cantatur ultimus versus Gradualis, sive Tractus, aut Sequentiæ, seu ante *Allelúja*, aut etiam citius, prout distantia altaris exquiret, portabit ante pectus ad altare, debitas faciendo reverentias, librum Evangeliorum clausum, collocans illum in medio altaris. Deinde accedit ad Episcopum cum debitis reverentiis, illiusque manum osculatur: mox redibit ad altare, et genuflexus super infimo ejus gradu in medio, dicit secrete *Munda cor meum etc.*, tum surgens resumit librum de altari et rediens ad Episcopum, inclinatus, petit ab eo benedictionem, dicens *Jube Domne benedicere*. Et habita benedictione, accedit ad Evangelium cantandum, portans, ut supra, ante pectus librum Evangeliorum clausum, et incedens ultimo loco post omnes suos comministros. Cum erit in loco ubi solet Evangelium cantari, ponit librum apertum in manibus subdiaconi, vel in legili, aut alias, juxta consuetudinem ecclesiæ, ut in prædicto *cap. VIII. lib. II.*, et junctis manibus ante pectus dicit cantando: *Dóminus vobiscum*. Et cum dicet *Initium*, vel *Sequéntia sancti Evangélii etc.*, signat pollice dexteræ manus initium Evangelii, ac seipsum in fronte, ore et pectore; et dum respondetur a choro *Glória tibi, Dómine*, accipit thuribulum de manu acolythi, sive Cæremoniarii, et librum triplici ductu thurificat, primo in medio, tum a parte dextera libri, mox a sinistra; et reddit thuribulum Cæremoniario, ac manibus junctis incipit Evangelium.

3. Quo finito, factis debitis reverentiis, revertitur ad altare, ad locum suum; sed si Episcopus esset apud faldistorium, ipse eum stantem, lecto Evangelio, triplici ductu thurificare debet; si vero

Episcopus est in sede sua, id spectat ad presbyterum assistentem. Si fiat sermo per Episcopum sedentem in faldistorio apud altare, statim finito sermone, ipse stans ad ejus sinistram modicum inclinatus recitabit confessionem in tono, prout in capit. XXXIX. lib. II. De tono confessionis etc. Et cum in ea dicit *Et tibi Pater*, profundius inclinabit, sic etiam in fine cum dicit *Et te Pater*. Idem faciet, si sermo per alium habeatur; sed quia tunc Episcopus sedet in suo solio, ipse stans apud infimum gradum solii, faciet confessionem eodem tono et modo, ut supra. Cum Episcopus inceperit cantare Symbolum *Credo in unum Deum etc.*, ipse cum subdiacono illud submissa voce prosequetur apud altare; ita tamen, ut non præire, sed subsequi debeant Episcopum: et cum a choro recitatus fuerit versiculus *Et incarnatus est*, usque ad finem, ad quem ipse, sicut alii Canonici, profunde se inclinatur, accedit ad abacum, et capit bursam cum corporalibus, quam ad oculos usque elevatam, ambabus manibus portat ad altare, incedens solus, gravi et decoro incessu, et solitas reverentias Episcopo et altari faciens: ibi extrahit ex bursa corporale, quod explicat, et extendit in medio altaris, collocans a parte Evangelii bursam, ita ut altare non impediatur, et redit ad locum suum, et ibi sedet.

4. Finito Symbolo, si Episcopus sedebat in faldistorio, aufert ei mitram; et lecto per eum Offertorio, imponit eidem mitram pretiosam, et simul cum subdiacono aufert anulum et chirothecas. Quod si Episcopus erit in sede sua episcopali, Diaconi assistentes auferent et imponent ei mitram, et auferent chirothecas. Redeuntem Episcopum ad altare et gradus altaris ascendentem ipse a dextris adjuvat; mox ut Episcopus pervenit ad medium altaris, Diaconus accedit ad cornu Epistolæ, et accepta una ex duabus Hostiis, quas invenit a sacrista in patena paratas, cum illa tangit alteram, et patenam, et calicem circumcirca intus et foris, et dat illam prægustandam eidem sacristæ. Idem similiter facit de vino et aqua, modicum de illis effundens in patenam ad id paratam. Tunc porrigit Episcopo patenam cum altera Hostia pro sacrificio offerendo, cum osculo patenæ et manus.

5. Dum Episcopus dicit *Súscipe sancte Pater etc.*, Diaconus ex ampullis mittit in Calicem, quem prius purificatorio extersit, vinum pro consecratione, et post admistas illi per Subdiaconum paucas aquæ, tunc per Episcopum benedictæ, guttas, offert Calicem Epi-

scopo cum oculis etiam Calicis et manus, cum quo tangens et ipse Calicem, dicit *Offérimus tibi Dómine etc.*, et posito per Episcopum Calicé super corporale, ipse illum palla cooperit; et accedente thuriferario, ministrat Episcopo naviculam, et mox ponit in ejus manibus, ut supra dictum est, thuribulum, ut thurificet oblata et altare, quem adjuvat, supponendo sinistram brachio illius, et retrahendo dalmaticam, dexteram vero ad pedem Calicis ponendo, ne dum Episcopus oblata thurificat, thuribulo tactus, e loco removeatur, vel aliquid ex illo effluat: et cum thurificanda erit Crux altaris, ipse opportune Calicem e medio removebit, et Cruce thurificata, in eodem loco illum reponet. Finita thurificatione altaris, accipiet thuribulum de manu Episcopi, cum deosculationibus, et eum stantem cum mitra in cornu Epistolæ triplici ductu thurificat; mox accedit ad thurificandum Dignitates, et Canonicos, et alios de choro, ordine in cap. XXIII. lib. I. descripto. Quo facto, dat thuribulum Acolytho, vel Cæremoniario, a quo et ipse, stans post Celebrantem in gradu altaris infra suppedaneum, thurificatur. Finita Præfatione, accedit ad dexteram Episcopi, dicens cum eo *Sanctus, Sanctus etc.*, et statim redit ad locum suum post Celebrantem; et cum Celebrans incipit verba Canonis, videlicet *Te igitur, clementissime Pater etc.*, attente advertat, ut opportune partem dalmaticæ ad brachium illius sublevet, et discooperiat, et cooperiat Calicem, quoties opus fuerit, prout in rubricis Missalis explicatur: et cum Celebrans elevat Hostiam, ipse genuflectit ad ejus dexteram, et sinistra elevat aliquantulum posteriorem partem Planetæ. Reposita Hostia super Corporale, surgit, detegit Calicem, et statim genuflectit, et iterum sublevat Planetam dum Celebrans Calicem elevat, quem repositum super Altare palla cooperit, genuflectit, et redit ad locum suum post Celebrantem; ad vertens, dum Celebrans signat super Hostiam et Calicem, ut partem dalmaticæ circa brachium ejus semper aliquantulum sustineat; et cum dicit ea verba Canonis, videlicet *Benedicis et præstas nobis, etc.* ipse accedens, detegit Calicem: et quoties Calicem detegit, toties genuflectit, adorans Ss. Sacramentum prius et post. Cum Celebrans signat dicens *Per ipsum, et cum ipso etc.*, retinebit duobus digitis dexteræ manus pedem Calicis; et reposita Hostia super Corporale tegit Calicem palla, et redit ad locum suum. Circa finem *Pater noster etc.*, videlicet, dum Celebrans dicit *Et dimitte nobis etc.*, ascendit ad cornu Epistolæ et accipit patenam de manu Subdiaconi, cum

purificatorio detersam, osculatamque ab ipso, videlicet, dum dicit verba Canonis *Libera nos etc.*, ponit eam in manu dextera ipsius Celebrantis, quam similiter osculatur; et cum Episcopus supponit patenam Hostiæ, ipse detegit Calicem, ac posita per Celebrantem particula Hostiæ in Calicem, illum tegit, et cum Celebrante dicit *Agnus Dei etc.*, et supplet loco assistentis Presbyteri ad librum, donec ille redeat ab osculo pacis, infunditque vinum in Calicem pro purificatione Celebrantis.

6. Si facienda erit Communio generalis, postquam Episcopus celebrans se et Diaconum et Subdiaconum communicaverit, ante purificationem, et antequam digitos abluat, ipse Diaconus, stans in cornu Epistolæ inclinatus, Confessionem alta voce cantabit, aliaque faciet, prout in die Paschæ dicitur. Advertendum autem est, quod etiam si non fiat Communio generalis, semper a Diacono et Subdiacono, nisi sint Sacerdotes et velint celebrare, accipienda est Communio ab Episcopo celebrante, a quo et immediate osculum pacis accipere debent, ut dicitur in *cap. XXIX. lib. II. et in cap. XXIV. lib. I.*

7. Postquam Celebrans digitos abluerit, Diaconus, translato libro cum pulvino ad cornu Epistolæ, imponit mitram pretiosam in capite Episcopi, qui abluit manus, mox eidem mitram aufert, et vadit post eum; et dicto post ultimam orationem *Dóminus vobiscum*, ipse stans conversus ad populum, sive ad altare, quemadmodum Episcopus, cantat *Ite Missa est*, in tono competenti, vel *Benedicámus Dómino*, prout tempus exigit. Et, si Celebrans est daturus benedictionem, imponit ejus capiti mitram pretiosam, nisi sit Archiepiscopus, qui sine mitra propter reverentiam Crucis benedicit.

8. Si Celebrans sit Archiepiscopus et cum Pallio celebraverit, data benedictione et publicata Indulgentia, Diaconus extrahit illi Pallium, et super altare illud deponit; denique comitatur Episcopum, donec, depositis manipulis per ipsum Diaconum et Subdiaconum, illum exuat sacris paramentis: quo exuto, etiam ipse sua deponit, et recedit in pace.

9. Si celebratur pro Defunctis, observabit quæ in Missali de Missa Defunctorum dicuntur. In Collegiatis, vel absente Episcopo, et in Dominicis Adventus et Quadragesimæ, ac Feriis, servabit quæ de iis in propriis capitibus et in rubricis Missalis Romani leguntur.

CAPUT X.

Canonicus antiquior ex ordine Subdiaconorum, seu dignior ex eodem ordine, assistat Episcopo solemniter celebranti. Quæ paramenta afferat Episcopo. Quando imponere debeat Manipulum Episcopo. Epistolam cantat. Ministrat ampullas vini Diacono, et infundit aquam in Calicem, Patenam sustinet, Calicem abstergit et reponit, ac Diaconum adjuvat in exuendo Episcopum.

Eodem tempore, eodemque loco, et modo, prout de Diacono dictum est, Subdiaconus, qui et ipse de numero Canonicorum erit, et, si inter Canonicos distinctus erit ordo Subdiaconalis, antiquior, seu dignior ex eodem ordine, comitabitur Episcopum ad ecclesiam procedentem, et accipiet paramenta sibi convenientia, quæ eadem fere sunt, quæ superius Diacono conveniunt, excepta stola, qua Subdiaconus non utitur: accipiet autem super alba tunicellam, quæ ejusdem formæ est, cujus est dalmatica Diaconi, nisi quod strictiores longioresque aliquantulum manicas habet.

2. Episcopo igitur incipiente legere Psalmos *Quam dilècta etc.*, affert illi caligas et sandalia, ex credentia sumpta, quæ portat super bacili, vel super velo, alio velo serico cooperta, ambabus manibus ad oculos usque elevatis; et adjuvante uno ex familiaribus Episcopi, induit primo tibiam et pedem dexterum Episcopi, mox sinistram, genuflexus sub cappa illius, et cum tempus erit, simul cum Diacono adjuvabit Episcopum dum ceteris paramentis sacris induitur; quod munus licet ad Diaconum præcipue spectet, Subdiaconus tamen coadjuvat, ubi opus est, ut infra in *cap. VIII. lib. II.* Et postquam Episcopus fuerit paratus, ipse accipiet manipulum, et procedente Episcopo ad altare, immediate ibit post crucem, librum Evangeliorum clausum ante pectus portans, in quo inclusus erit manipulus Episcopi, et facienti Episcopo Confessionem, ipse parum retro stans apud Diaconum, respondet simul cum Presbytero assistente et Diacono, et interim deponit dictum librum Evangeliorum in manibus Cæremoniarum; et cum Episcopus dicit *Indulgéntiam, absolutiónem etc.*, accipiet ex dicto libro manipulum, illumque a latere osculatur, et Episcopo, ubi est signum crucis, osculandum porrigit a sinistris; mox illum imponit sinistro brachio Episcopi, et manum Episcopi

osculatur: et eidem, cum supremum altaris gradum ascenderit, adjuvante Presbytero assistente, porrigit osculandum dictum librum Evangeliorum apertum, ubi est principium Evangelii illius Missæ: stans in cornu Evangelii a sinistris Episcopi, ab ea parte adjuvat illum altare thurificantem, sicut Diaconus a dextris. Redeunte autem Episcopo ad suam sedem, ipse remanet cum Diacono Evangelii apud altare. Et cum Episcopus dicit *Kýrie eléison etc.*, *Glória in excélsis Deo etc.*, et *Credo in unum Deum etc.*, ipse in eodem loco ea dicit cum Diacono; et quando sedendum est, sedet cum eodem. In fine Orationis, seu Orationum, cum Episcopus dicit *Per Dóminum nostrum Jesum Christum etc.*, accipiens librum Epistolarum, et factis reverentiis altari et Episcopo, comitante Cæremoniario, Episcopo sedente cum mitra, ipse, librum tenens, incipit alta voce cantare Epistolam in loco consueto.

3. Qua finita, accedit ad Episcopum, cui profunde inclinatus, librum super ejus genibus ponit, et osculatur illius manum super libro positam; accedit deinde cum Diacono ad lectionem Evangelii, procedens manibus junctis immediate ante illum; et illi, legenti Evangelium, tenet ambabus manibus librum apertum ante pectus, vel legile manibus tenet, aut adhæret Diacono, si in ambone aut pulpito Evangelium legatur, ut in *cap. VIII. lib. II.* latius explicatur: et si forte Diaconus, proferendo aliqua verba Evangelii, inclinaret se, aut genuflecteret, librum vel legile tenens, ipse nullatenus movetur, cum repræsentet legile immobile.

4. Finito Evangelio, tenens adhuc librum apertum, nulla tamen facta reverentia, illum sic apertum offert Episcopo osculandum in loco ubi est principium Evangelii cantati; quo osculato, et clauso libro, facit Episcopo reverentiam, et revertitur ad altare.

5. Postquam vero Episcopus lavit manus post Offertorium, ipse accedit ad abacum, et extenso sibi, adjuvantibus Acolythis, circa humeros velo serico, quo Calix, Patena et alia super dicta mensa cooperiebantur, ita ut a latere dextero longius pendeat, accipit manu sinistra Calicem cum Patena, et hostiis palla tectis, eaque omnia longiori illa parte veli cooperit, altera manu super ea apposita, caute advertens, ne aliquid forte decidat, et accedit ad cornu Epistolæ altaris, eodem tempore quo Episcopus illuc pervenerit; eaque omnia, remoto velo, dat in manibus Diaconi; mox eidem Diacono tradit ampullam vini ab Acolythis receptam, ampullam vero aquæ ipse

Episcopo ostendit, et petit ut benedicat, dicens: *Benedicite, Reverendissime Pater*, ex qua benedicta infundit paululum in Calicem.

6. Post oblationem hostiæ et vini factam, accipit de manu Diaconi patenam, quam veli prædicti extremitate, adjuvante Cæremoniario, contegit, eamque elevatam sustinet usque ad finem *Pater noster etc.*, stans retro in loco consueto et conveniente; nec movet se nisi cum ad elevationem sanctissimi Sacramenti genuflectit: quo elevato, statim surgit; et cum Celebrans dicit in oratione Dominica *Et dimitte nobis etc.*, facta debita genuflexione, accedit ad altare in cornu Epistolæ, dictamque patenam Diacono offert, qui eam a Cæremoniario vel a seipso velo discoopertam, accipit: tunc ipse Subdiaconus, deposito velo in manibus Cæremoniarii vel Acolythi, redit ad locum suum, et supplet a dextera Episcopi pro Diacono, dum ille inservit loco Presbyteri assistentis a sinistra, discooperiendo Calicem et alia faciendo, quæ erunt necessaria et opportuna, donec Episcopus Communionem sumpserit; et eo communicato, ipse post Diaconum accipit Communionem et pacem ab eodem Episcopo, ut in *proxime præcedenti cap. §. VI.* de Diacono dictum est. Mox imponit vinum in Calicem pro purificatione, nisi prius redierit ad locum suum Presbyter assistens, quia tunc hoc facit Diaconus, reversus ad dexteram Episcopi. Demum accepta per Episcopum purificatione, dum lavat manus, ipse tergit Calicem, plicat corporalia, illaque simul cum palla, purificatorio et bursa ad abacum reportat cum debitis reverentiis; mox redit ad locum suum post Episcopum et ibi stat usque ad finem Missæ, et ea finita, adjuvat Diaconum in exuendo Episcopum.

7. Si celebrabitur pro Defunctis, alio ordine et ritu multa faciet, ut in *cap. XI. lib. II.* Idem dicitur quoad habitum et alia quædam in Missis, quæ celebrantur in Dominicis Adventus, et Quadragesimæ, et in aliquibus Feriis. In Collegiatis vero, et Episcopo absente, ipse servit loco assistentis in danda pace, ac etiam Episcopo præsentem, si celebratur Missa ab aliquo Canonico, vel alio qui non habeat Presbyterum assistentem.

CAPUT XI.

Episcopo, Vesperas solemniter cantanti, præter Presbyterum, et duos antiquiores Diaconos, septem Acolythi inserviant. Dum Missam solemniter celebrat, alii sex ministri addantur. Munia ministri de libro, de candela, de baculo, de mitra, de thuribulo, de candelabris, de gremiali, de ampullis, et de abaco explicantur. Si Celebrans est Cardinalis, vel Archiepiscopus, aut Episcopus valde insignis, convenit, ut Magistratus, vel Proceres civitatis bacilia et aquam opportune ministrent. Magistratus et nobiliores sedeant in loco eis assignato extra Presbyterium.

Ut episcopales functiones, præsertim in ecclesia, et in divinis Officiis commodius, digniusque exerceri valeant, plures necessarii sunt ministri, licet pauciores in Vesperis sufficiant, quam in Missis. Cum ergo Episcopus Vesperas solemniter cantabit, ultra Presbyterum assistentem, duosque antiquiores Diaconos assistentes, qui ceteris digniores sint, de quorum officio supra dictum est, ubi commode fieri poterit, septem saltem alios ministros habere eum convenit, aspectu, habitu, et tonsura decentes, ac cottis mundis indutos. Primus erit, qui de libro: secundus qui de candela servient; tertius de baculo pastoralis; quartus de mitra; (qui quatuor, si adsit consuetudo, induantur etiam pluvialibus); quintus de thuribulo et navicula; sextus et septimus de candelabris et cereis.

2. Cum vero Missam solemniter celebrat, ultra prædictos, ac Diaconum et Subdiaconum, de quorum officii etiam supra dictum est, habebit alios sex, quorum duo eodem habitu clericali et cottis induti servient, alter de gremiali, alter de ampullis. Reliqui quatuor poterunt esse cubicularii, sive familiares Episcopi clericali habitu, sed sine cottis stantes apud abacum; et hi quidem ministri omnes, si haberi non poterunt ex gremio Ecclesiæ, vel de familiaribus ipsius Episcopi, poterunt jussu Episcopi convocari ex Parochiis et Ecclesiis civitatis; iidemque omnes præter jam dictos quatuor familiares, servient etiam Episcopo, cum induitur et exuitur sacris paramentis, tam in Vesperis, quam in Missis, dicta paramenta portando et reportando; ex quibus qui de baculo pastoralis, de mitra, de thuribulo, de candelabris, de ampullis vini et aquæ serviunt, ubi commode fieri potest, sint in ordine Acolythatus, ut disciplinæ dignitas, quoad ejus fieri possit, conservetur.

3. Igitur primi ministri officium erit, cum Episcopus celebrabit Vesperas, aut Missas solemniter, curare, ut signacula in libro; ex quo Episcopus Antiphonas, aut Hymnum est intonaturus, aut orationem cantaturus, sint recte suo loco disposita; ne, cum dicendum aliquid erit, indecenter huc illuc folia vertere cogatur; librum ipsum custodiet, et reponet in loco decenti, quem, cum opus erit illum Episcopo offerre, sustinebit ambabus manibus ab inferiori parte libri positus, altius vel demissius pro statura Celebrantis, nec se loco movebit, nec umquam genuflectet, etiamsi ipsemet Celebrans et alii omnes genuflecterent, cum, ut dictum est *cap. præcedenti* de Subdiacono, instar legilis sit; nisi cum fortasse ob commoditatem Episcopi legentis, eum genuflectere magis expediret: uti cum librum tenebit pro Psalmis a Pontifice legendis, antequam paramentis Missalibus induatur. Locus autem ejus erit prope altare. Cum vero Presbyter assistens paratus, librum sustinebit ante Episcopum in cantu legentem, ipse a sinistris Episcopi stans, adjuvabit in sustentatione libri ipsum assistentem.

4. Alter in eodem habitu de candela, serviet etiam ad altare.

5. Tertius minister eodem habitu, seu pluviali indutus, juxta locorum et Ecclesiarum consuetudinem ipsius baculi custodiendi, portandique ante Episcopum, quoties opus erit, curam habebit, quem manu dextera cottæ extremitate cooperta tenebit, sed nudum, nulloque panniculo appenso, illum Episcopo, cum opus erit, offeret. Quo autem tempore, et in quibus actibus Episcopus baculo pastoralis uti debeat, inferius in suo capite describetur.

6. Quartum ministrum de mitra servientem, oportet velum, seu mappam sericeam oblongam a collo pendentem gerere, qua utitur ad mitram sustinendam, nisi, ut supra, sit pluviali indutus, ne illam nudis manibus tangat: caute autem advertat, ut cum ea Episcopo imponenda, auferendave erit, immediate lateri Diaconi assistentis, illam imposituri, vel ablaturi adhæreat mitram offerens, vel recipiens. In Vesperis, incepto primo Psalmo, deposita mitra pretiosa super altari in cornu Epistolæ, offert simplicem: inceptaque Antiphona Cantici *Magnificat anima mea etc.* offert pretiosam, et simplicem super altari in eadem parte locabit. In Missis, dicto per Episcopum celebrantem seu non celebrantem Hymno Angelico, adsit cum mitra simplici, vel auriphrygiata, imponenda Episcopo sedenti, ipsa pretiosa super altari deposita. Ut plurimum enim solent Epi-

scopi in Missa uti pretiosa usque ad dictum Hymnum Angelicum, postmodum simplici, aut auriphrygiata, usque ad finem Symboli: tum lecto Offertorio, reassumere pretiosam, eamque tenere usque ad finem Missæ, suo tempore. Cum prædictus minister mitram tenet, habeat vittas, seu infulas illarum versus seipsum, et cum illas deponit, sive super altari, sive super mensa, aut abaco, vittæ exterius pendeant.

7. Quintus minister Acolythus thuribulum et naviculam incensi ministraturus, debet aliquanto ceteris robustior eligi, quo pondus illorum sustentare possit, eaque debet, elevatis æqualiter manibus tenere, videlicet, thuribulum dextera, pollice in anulum majorem immisso, medio vero ejusdem manus digito minorem anulum catenulæ elevanti, coopertorium thuribuli appositum reget et sustinebit; sinistra manu pedem naviculæ cum incenso et cochleari caute gestabit, cottam super brachia prius reflectens, ne forte contingat illam cum thuribulo, aut navicula implicari, aut comburi. Quo autem loco et ordine incedere, stare, vel genuflectere cum aliis ministris, ad Evangelium euntibus et redeuntibus debeat, et de aliis, quæ ad suum officium spectant, suo tempore a Cæremoniariis docendus erit.

8. Acolythi duo ceroferarii debent et ipsi robusti, et in statura, quantum fieri potest, æquales eligi, ut lumina æqualiter teneant et deferant; cumque sumpturi sunt candelabra, accipient quidem manu dextera, ita ut, qui a parte dextera incedit, ponat manum sinistram ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum, et qui incedit a parte sinistra, ponat dexteram ad pedem, sinistram ad eundem globum: cumque reverentias erunt facturi, illas æqualiter, et eodem tempore faciant: ac denique eundo, stando, ac redeundo in omnibus actibus inter seipsos, et cum aliis ministris se conforment, prout per Cæremoniarium admonebuntur. Quod si, dum cantatur Evangelium, genuflectendum sit, ac propterea omnes genuflectant, ipsi stabunt simul cum Subdiacono librum tenente, ac si immobiles essent.

9. Duo præterea alii, sed in Missa tantum, adhibentur ministri, quorum unus de gremiali, alter vero, qui saltem sit Acolythus, de ampullis serviat; et qui gremiale ministrat, intentus esse debet, ut cum celebrans Episcopus surgit, antequam mitra ei auferatur, ipsum gremiale, per assistentem a sinistris, de gremio Episcopi abla-

tum, reverenter accipiat, illudque complicatum ante pectus ambabus manibus teneat; et cum opus erit, alteri assistenti a dextris porrigat, reponendum in gremio Episcopi sedentis; ac demum post lotionem manuum Episcopi, lecto Offertorio, illud super abaco reponet, cum eo amplius utendum non sit.

10. Acolythus autem, qui de ampullis servit, post lectum Offertorium, curam habebit portandi ampullas, sive urceolos vini et aquæ, super aliquo parvo bacili pariter dispositos, sequens immediate Subdiaconum calicem et patenam ad altare portantem; easdemque ampullas opportune ipsi Subdiacono porriget; et vino et aqua ex illis in calicem immissis, eas ad abacum reportabit; et demum easdem ad altare post Communionem, iterum pro purificatione afferet, et pariter ad abacum reportabit.

11. Quatuor ministri familiares, de quibus supra mentio habita est, serviunt ad lotionem manuum Episcopi incipiendo a juniore, seu minus digno, unusquisque per ordinem vice sua: quater enim Episcopus in Missa solemniter lavat manus: primo antequam capiat paramenta, secundo statim post lectum Offertorium, tertio post incensationem Oblatorum, quarto et ultimo post Communionem.

12. Si celebrans esset S. R. E. Cardinalis, vel Archiepiscopus, aut Episcopus valde insignis, possent ad hujusmodi ministerium ablu-tionis manuum ipsius celebrantis invitari aliqui ex magistratu vel proceribus, et nobilibus viris illius civitatis, qui velo sericeo circum spatulam extenso, duas argenteas lances, seu fontes, si commodum erit, vel bacile, et buccale, cum aqua odorifera, extremitate ejusdem veli coopertos, suo tempore ministrent, præeunte clavigero, seu mazerio cum clava argentea, si est Cardinalis, quo casu convenit etiam prægustationem dictæ aquæ fieri apud abacum a ministris, vel scutiferis, illam ipsi nobili exhibentibus, omnesque prædicti sive ex familiaribus Episcopi, sive ex nobilibus civitatis sunt, eundo et redeundo genuflectent usque ad terram ante altare, ante Legatum, si adsit, et ante Episcopum: sed præsentem Legato Cardinali, Cardinali non Legato, vel Metropolitano, non ita profunde ante Episcopum genuflectant. Eorum locus, si fuerint ex familiaribus Episcopi, erit apud abacum, ubi stabunt inter mensam et murum, nisi abacus ipse adhæreat parieti, capite semper detecto, et versa facie ad Episcopum; si ex magistratu, vel ex nobilioribus civitatis, sedebunt in loco, pro ipsis deputato extra presbyterium, unde suo tempore per

Cæremoniarius vocabuntur; et associabuntur euntes et redeuntes. Iidem ministri adhibentur, si Episcopus celebrans non sit proprius illius civitatis, perinde ac si in propria ecclesia celebraret, excepto acolytho de baculo pastorali, nisi hujus usum ei concederet loci Episcopus. Dicti omnes ministri necessarii sunt etiam in Missis, non per Episcopum celebratis, in ecclesiis collegiatis præter illos, qui ministrant mitram, baculum pastorem, et gremiale, quæ sunt episcopalis dignitatis propria. Familiares autem minime sunt necessarii, cum nec abacus, aut mensa erigatur, sed ad ablutionem manuum celebrantis post Offertorium serviet acolythus.

CAPUT XII.

Ornatus Ecclesiæ in diebus festis et solemnioribus splendidior esse debet, quam in aliis. Valvæ, porticus, parietes Ecclesiæ, sedes Episcopi, et subsellia, quibus ornamentis instrui debeant. Apparatus Altarium. Ubi, et quo ordine collocanda sint paramenta Missalia pro Episcopo. Quid observandum circa ornatum Ecclesiæ, Episcopo non celebrante, et in Collegiatis Ecclesiis.

Quia regulariter in ecclesia solemnia sacra peraguntur, consentaneum est, ut de ejus ornatu, ac de Officiis et sacrificiis, quæ ibidem fiunt, sermo nunc habeatur. Igitur habenda est ratio, in iis ordinandis, temporis, et loci, ac personarum. Decet enim, ut in diebus festis splendidior appareat, quam in aliis non festivis, eoque magis, quo ipsi dies festivi erunt solemniores. Sic major etiam cura adhibenda erit in ornatu ecclesiæ cathedralis aut collegiatæ, quæ et numerosum clerum habeat, et supellectilem amplam, quæve congruenter situata, et in suis partibus apte distincta, commodiorem ornandi præbeat facultatem.

2. Personarum etiam, quæ ad ecclesias in celebritatibus conveniunt, et divinis Officiis præsent, aut intersunt, dignitas, prout major vel minor erit, majorem minoremve apparatus exposcit.

3. Si igitur festivitas erit præcipua, et de solemnioribus illius ecclesiæ, primum a parte exteriori ornandæ erunt valvæ ipsius floribus, ramis et frondibus virentibus, bracteolis, aut fasciis diversi coloris appensis, vel colligatis, quo splendidius pro locorum consuetudine ac temporum qualitate fieri poterit, supra vero portæ superliminare imago Sancti, vel Sanctorum, quorum dies festus agitur, pariter ornata, et sub illis insignia Summi Pontificis, Legati,

Cardinalium, aut Nuntii Apostolici, Episcopi, reipublicæ, principis aut civitatis, pro libito ponentur, servando in eorum positione ordinem dignitatum: inferioris vero ordinis hominum, maxime laicorum, insignia non sunt apponenda.

4. Si ecclesia habebit porticum, congruum erit, etiam illam pannis aliis pulchris ex serico, sive ex corio, ex aliave honesta materia confectis, seu elaboratis, prout haberi poterunt, exornari; in quibus tamen picturæ intextæ, seu pictæ non sint profanæ, vel indecentes: quod et in aliis pannis, in apparatu interiori et exteriori Ecclesiæ observandum erit, et maxime ut non ponantur ibidem ullæ effigies, nisi Sanctorum, vel Summorum Pontificum.

5. Intus quoque, si fieri poterit, parietes ecclesiæ similiter aulæis, tribunæ vero holosericis, aut nobilioribus cortinis coloris ceterorum paramentorum, pro festi qualitate contegantur.

6. In primis autem sedes episcopalis aliquanto etiam pulchrioribus sericis ornetur, ejusdem coloris, festivitati congruentis. Similiter, et sedes Legati Apostolici, aut alterius Cardinalis, qui forte sacris officiis interesse debeat, ornamentis condecensibus præparabitur.

7. Subsella quoque pro Prælatibus, Canonicis, Magistratibus, Magnatibus, nobilibusque laicis, pro ecclesiarum, locorum consuetudine, commoditateque ornari decet.

8. Cum Episcopus est venturus ad ecclesiam, prius præparandum est faldistorium, seu genuflexorium accommodatum ad genuflectendum ante altare sanctissimi Sacramenti, et ante majus, panno viridi seu violaceo, pro qualitate temporum coopertum; sed si Episcopus erit Cardinalis, serico, vel panno rubei, seu violacei coloris, prout erunt vestes ipsius Cardinalis, pro temporum diversitate: appositis pulvinaribus superius et inferius, super quæ Episcopus genuflexus orabit. Aliud simile, ante altare, seu alium locum, ubi est Ss. Sacramentum: quod diversum esse solet ab altari majori, et ab eo, in quo Episcopus vel alius est Missam solemnem celebraturus. Nam licet sacrosancto Domini Nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti præcellentissimus, ac nobilissimus omnium locus in ecclesia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari, et colere unquam valeamus, quantum decet, tenemurque; tamen valde opportunum est, ut illud non collocetur in majori, vel in alio altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam seu Ve-

speras celebraturus; sed in alio sacello vel loco ornatissimo cum omni decencia et reverentia ponatur. Quod si in altari majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperitur, ab eo altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et ordo Cæremoniarum, qui in hujusmodi Missis et Officiis servandus est, turbetur.

9. Quod si aliquando contingeret, coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum celebrari, existente Ss. Sacramento super altari, quod feria quinta in Cœna Domini, et feria sexta in Parasceve, et in Missa, quæ celebratur in festo Ss. Corporis Christi, vel cum exponitur oratio quadraginta horarum, ante processionem evenire solet; tunc omnes genuflexiones, et reverentiæ, ad unguem observari debent: et Episcopus numquam sedere, sed stare sine mitra, prout suis locis declaratur; et ideo non incongruum, sed maxime decens esset ut in altari, ubi sanctissimum Sacramentum situm est, Missæ non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus: aut saltem celebrans in eo sive solemnes, sive planas Missas, reverentias, et genuflexiones prædictas omnino observare debet. Ante Ss. Eucharistiam Episcopus genuflectens, prius in plana terra, deinde super faldistorio, vel genuflexorio ibidem præparato orabit, priusquam ad altare majus se conferat; et surgens iterum genuflectet, ut prius. Ante altare majus caput cruci profunde inclinabit, postea genuflectet, et orabit; demum surgens, iterum caput, ut prius, inclinabit.

10. Faldistorium quoque, si eo utendum erit pro sessione Episcopi celebrantis, parum distans ab infimo gradu altaris, a latere Epistolæ collocandum est, ita ut Episcopus celebrans, in eo sedens, habeat ad dexteram suam altare, respiciens eandem partem, quam ipsa anterior facies altaris respicit, sive illa versa sit ad tribunam, sive ad reliquum corpus ecclesiæ et populum, secundum varios altarium situs: quod quidem faldistorium coopertum sit undique ad terram serico ejusdem coloris, cujus erunt cetera paramenta, et sub dicto serico tegumento aptetur pulvinum. Regulariter autem faldistorium hujusmodi ponitur in plano, seu pavimento presbyterii, quod totum usque ad infimum gradum altaris convenienter deberet pannis viridibus contegi.

11. Sed si altare haberet plures gradus, ita ut faldistorium in pavimento positum remaneret nimis depressum; posset ei supponi ali-

quod suggestum seu tabulatum æqualis altitudinis a terra cum infimo gradu altaris, si super eo sessurus sit proprius Episcopus celebrans, qui tamen regulariter non in faldistorio, sed in propria episcopali sede stare, et sedere debet. Ipsum vero altare majus in festivitibus solemnioribus, aut Episcopo celebraturo, quo splendidius poterit, pro temporum tamen varietate et exigentia, ornabitur: quod si a pariete disjunctum et separatum sit, apponentur, tam a parte anteriori, quam posteriori illius, pallia aurea, vel argentea, aut serica, auro perpulchre contexta, coloris festivitati congruentis, eaque sectis quadratisque lignis munita, quæ telaria vocant, ne rugosa, aut sinuosa sed extensa, et explicata decentius conspiciantur. Tum in superna linea mappæ mundæ tres saltem explicentur, quæ totam Altaris planitiem et latera contegant. Nullæ tamen coronides lignæ circa altaris angulos ducantur, sed earum loco apponi poterunt fasciæ ex auro, vel serico elaboratæ, ac variegatæ, quibus ipsa altaris facies apte redimita, ornatioque appareat. Supra vero in planitie altaris adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt: sin minus ex aurichalco, aut cupro aurato nobiliter fabricata, et aliquanto altiora, spectabilioraque his, quæ ceteris diebus non festivis apponi solent, et super illis cerei albi, in quorum medio locabitur crux ex eodem metallo, et opere præalta, ita ut pes crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine sanctissimi Crucifixi, versa ad interiorem altaris faciem. Ipsa candelabra non sint omnino inter se æqualia, sed paulatim, quasi per gradus ab utroque altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus crucis posita.

12. Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super altari ponantur, quo casu crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur, a cujus lateribus, si haberentur aliquæ Reliquiæ, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis vel imagines argenteæ, seu ex alia materia, staturæ competentis, congrue exponi possent; quæ quidem sacræ Reliquiæ et imagines, cum sex tantum candelabra super altari erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra: dummodo ipsa altaris dispositio et longitudo id patiatur; sed et vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis, seu serico contextis, studiose ornata adhiberi poterunt.

13. Quod si altare parieti adhæreat, applicari poterit ipsi parieti supra altare pannus aliquis ceteris nobilior et speciosior, ubi intextæ sint Domini Nostri Jesu Christi, aut gloriosæ Virginis, vel Sanctorum imagines, nisi jam in ipso pariete essent depictæ et decenter ornatae: desuper vero in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formæ quadratæ, cooperiens altare, et ipsius altaris scabellum, coloris ceterorum paramentorum. Quod baldachinum etiam supra statuendum erit, si altare sit a pariete sejunctum; nec supra habeat aliquod ciborium ex lapide, aut ex marmore confectum.

14. Si autem adsit tale ciborium, non est opus umbraculo, sed ipsum ciborium floribus, frondibusque exornari poterit.

15. Cum Episcopus erit celebraturus Missam solemnem, ponentur omnia paramenta pontificalia in medio altaris ordine retrogrado, videlicet, annulus, inclusus in aliqua capsula seorsum ab aliis, planeta, chirothecæ, dalmatica, tunicella, stola, crux pectoralis, cingulum, alba et amictus, manipulus vero ad partem ibidem ponetur. Sed in ecclesiis, ubi esset secretarium, sive locus, ubi Episcopus pareretur, paramenta prædicta possent ibi præparari, non autem super altari, ut suo loco dicitur. Libri vero Missalis, Evangeliorum, Epistolarum, tecti serico ejusdem coloris quo cetera paramenta, cum pulvino ex eodem serico et colore, vel parvo legili argenteo, aut ligneo affabre tamen elaborato, ponuntur super credentia in cornu Epistolæ.

16. Gradus omnes altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui, et ornati, quam reliqua pars presbyterii, quæ pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem scabellum, seu suppedaneum, quod est proximum altari, sit tapete aliquo coopertum. Similiter et locus, qui in plerisque ecclesiis sub altari majori esse solet, ubi Ss. Martyrum corpora requiescunt, qui Martyrium, seu Confessio appellatur, decet floribus, frondibusque, omnique ornameto decorari. Cetera altaria per ecclesiam pariter palliis concoloribus, decentibusque ornentur absque coronide, et cum fascia, ut supra de maiori dictum est; et habeant quælibet duo saltem candelabra cum cereis, et in medio crucem cum imagine Crucifixi argenteam, vel ex aliquo metallo aut cupro aurato: scabella eorum, si fieri possit, tapetibus, vel saltem pannis cooperiantur. Altare vero,

vel locus, ubi est repositum Ss. Sacramentum, præ ceteris sumptuosius ac nitidius exornandum est.

17. Lampades quoque ardentes numero impari in ecclesiis adsint, tum ad cultum et ornatum, tum ad mysticum sensum, ut et multa ex superius narratis pertinent. Hæ vero in primis adhibendæ sunt ante altare, vel locum, ubi asservatur Ss. Sacramentum, et ante altare majus, quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante altare majus erit, tres ad minus; qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat. Ante vero reliqua singula altaria singulæ possunt lampades appendi; quæ quidem in præcipuis festis, saltem dum Vesperæ et Missa solemniter decantantur, continue ardeant. Ante Ss. Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensæ tota die adsint. Sed, et ante locum et fenestellam Confessionis supradictæ, ubi consuetudo est lampadem ardere, servanda est. Possunt etiam in altari majori, vel aliis, quæ habent ciboria, circumcirca lampades appendi.

18. Ambones, ubi Epistolæ et Evangelia decantari solent, si qui erunt, necnon et pulpitum, ubi sermo, vel concio haberi solet, consentaneum est, pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt cetera paramenta, exornari, ita tamen, ut locus Evangelii pulchrius ornetur.

19. Restat, ut de mensa, seu abaco, quam credentiam vocant, pauca subjiciamus. Ea vero in Missis tantum solemnibus præparari solet a latere Epistolæ in plano Presbyterii, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disjuncta; ita ut inter illam et parietem stare possint familiares Episcopi, ad manuum lotionem destinati, nisi propter loci angustiam id fieri non possit, ut supra *cap. XI. §. XII.*; quo casu fiet, prout melius poterit. Ejus mensura regulariter erit palmorum octo in longitudine, in latitudine quatuor vel circa, in altitudine quinque, vel modicum ultra; lineoque mantili mundo super strato, usque ad terram circumcirca pendenti, contegetur. Super ea ponentur duo candelabra cum cereis albis, altitudinis et formæ, prout duo minora ex his, quæ super altari posita sunt, et in ipsius medio calix cum patena, palla, purificatorio, et bursa corporalia continens: libri item Missales, et legile, atque ibi proxime capsula cum hostiis, et pelvicula cum anpullis vini et aquæ, eaque omnia cooperientur velo pulchriori, quo uti debet Subdiaconus, cum patenam tenebit. Super eadem mensa apponentur mitra pretiosa, vel auriphrygiata, et altera simplex cum bireto parvo.

quod mitræ supponitur, necnon velum pro capellano serviente de mitra, pelvis pro abluendis manibus, et urceus argenteus cum aqua pro manuum lotionem, quatuor mappulæ ad tergendas manus, thuribulum cum navicula, et in ea cochlear et thus, cum quo possint misceri aromata bene olentia, dum tamen thuris quantitas superet; gremiale, caligæ et sandalia, liber pro Psalmis legendis, ac denique omnia, quæ usui esse possunt celebranti, præter paramenta missalia, quæ super altari, vel in secretario ponuntur, ut supra dictum fuit, et baculum pastorem, qui manu ministri, ad id constituti, sustinebitur.

20. Vasa quoque argentea ampla et magnifica, si haberentur, ad ornatum adhiberi possent, maxime celebrante aliquo S. R. E. Cardinali; sed neque crux, neque sanctorum imagines in ea ponendæ sunt. Prope ipsam mensam in loco opportuno, et ab oculis populi, quantum fieri potest, remoto, vel in sacristia, erit vas cum carbonibus accensis, ac forcipibus pro usu thuribuli. Funalia pariter cerea pro elevatione Ss. Sacramenti ad minus quatuor, ad summum octo, item alia sex, vel septem ad summum funalia apponi possent in alto loco, in frontispicio tribunæ; maxime si celebraret aliquis S. R. E. Cardinalis, et locus esset ad id aptus.

21. Hæc, ut diximus, observanda erunt in solemnioribus Ecclesiæ festivitatibus, ac celebrante Episcopo; plus autem, vel minus, pro Celebrantis qualitate et gradu. Non celebrante Episcopo, sed præsentem, simpliciori ornatu erit agendum.

22. In Ecclesiis Collegiatis, ubi Episcopus, nec celebrans, nec præsentem est, eadem circa ornatum Ecclesiæ et altaris conveniunt, exceptis his, quæ Episcoporum sunt propria. Paramenta vero in sacristia parari convenit. Mensa, multo brevior et demissior erit adhibenda, cum pauca sint in ea reponenda, nempe pellicula cum urceolis vini et aquæ, calix cum bursa et corporalibus, et quandoque quædam alia pro celebrationis necessitate et usu; itemque satis erit scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete, aut panno, aptari a latere Epistolæ, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono.

23. In solemnitatibus majoribus, quæ ubique per annum occurrunt, videlicet in Nativitate Domini, Paschate, Pentecoste etc. eadem erunt servanda, nisi quod valvæ, porticus et parietes ecclesiæ non ornantur regulariter; sed, si in aliquibus ecclesiis consue-

tudo esset tunc quoque ornandi, retinenda hæc erit, cum circa majorem ornatum semper sit laudabilis. Id tamen in hujusmodi festis non omittatur, ut saltem tribuna, altare majus, et alia minora, sedes episcopalis, abacus, et amboes eadem forma ornentur.

24. Dominicis diebus et aliis festis, quibus populi ab opere cessant, in ornatu altarium, sedis episcopalis, sedium Canonorum et aliorum, eadem, sed aliquanto parcius, fieri debent, videlicet, ut paramenta non sint ita sumptuosa, coloris tamen temporis congruentis, et omnino pretiosiora illis, quæ festis duplicibus minoribus, semiduplicibus, et octavis, feriis Quadragesimæ, Adventus, quatuor Temporum et Vigiliarum adhibentur: quibus quidem diebus sufficient in altari quatuor candelæ in candelabris; sed in festis simplicibus, et feriis per annum, duæ. Eadem respective etiam in Collegiatis observantur.

25. Erit autem valde opportunum, ubi fieri possit, præsertim in ecclesiis majoribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curæ sit, ut ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit et expolita tam in pavimento, quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes, aut alia animalia, divina Officia perturbantia. Quædam vero alia, quæ in quibusdam solemnitatibus aut officiis specialibus requiruntur, suis locis dicentur.

CAPUT XIII.

Sedes Episcopi in qua parte collocanda. Tribus gradibus ad eam ascenditur. Ejus forma, et ornatus. Si chorus sit in medio ecclesiæ, Episcopus assistit ibi in sede pro ipso ordinata. Cardinalis Legatus, vel non Legatus, assistit in sede episcopali, et Episcopus sedet interim in faldistorio. Si Episcopus sit Cardinalis, et assistat Legatus, Episcopus Cardinalis habet æqualem sedem prope Legatum. Ubi sedere debeant Metropolitanus, Nuntius Apostolicus, habens facultates Legati de latere, vel eas non habens, Visitator Apostolicus Episcopus, Vicarius Generalis, Protonotarii Apostolici, Magistratus, aliique Proceres.

Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diversitate altarium, apud quæ statui debet. Nam aut altare est in medio sub tribuna, pariete disjunctum, ita ut in spatio illo constitutus sit chorus, et tunc sedes episcopalis e regione altaris parieti applica-

bitur, ita ut Episcopus, in ea sedens, respiciat recta linea mediam altaris partem; habebitque hinc inde sedilia Canonicorum.

2. Si vero chorus sit in medio ecclesiæ, et altare adhæreat parieti, vel ab eo modico sit intervallo separatum, ipsa sedes episcopalis erit collocanda a latere Evangelii.

3. Utroque autem casu tribus gradibus ad eam ascendatur, qui pannis aut tapetibus tegantur. Forma sedis erit prææta et sublimis, sive ex ligno, sive ex marmore, aut alia materia fabricata in modum cathedræ et throni immobilis, quales in multis ecclesiis antiquioribus videmus: quæ debet tegi et ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis, non tamen aureo, nisi Episcopus esset Cardinalis, et super ea umbraculum, seu baldachinum ejusdem panni et coloris appendi poterit, dummodo et super altari aliud simile, vel etiam sumptuosius appendatur; nisi ubi super altari est ciborium marmoreum, vel lapideum: quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest. Hujusmodi sede utetur Episcopus, dum Vesperæ et Missæ per ipsum solemniter celebrantur. Cum vero Missis non solemnibus et horis Matutinis aut aliis Episcopus assistit, si fuerit in medio Ecclesiæ chorus ante altare, poterit ibi in sede, pro ipso ordinata, residere, quæ remanebit in eo loco, ubi ex consuetudine ecclesiæ esse solet, sive longius, sive propius ab altari distet. At ubi chorus est sub tribuna, poterit in sede episcopali supradicta, tam in solemnibus quam non solemnibus officiis esse.

4. Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis Legatus de latere, vel non Legatus, rei divinæ interesset, convenit ei sedes episcopalis supradicta; Episcopus vero, si celebret, in faldistorio in cornu Epistolæ; si non celebret, et chorus sit in Presbyterio sub tribuna, sedebit in digniore parte chori.

5. Quod si Episcopus quoque esset S. R. E. Cardinalis, si Legatus haberet sedem a latere Evangelii, sedebit quoque Episcopus Cardinalis non celebrans in eodem loco, et plano, et sedibus æqualibus prope Legatum.

6. Eodem quoque modo sedebunt, si plures adessent Cardinales, dummodo Episcopus Cardinalis sit omnium postremus; Celebrans vero in faldistorio, ut supra.

7. Si vero Legatus esset in sede episcopali sub tribuna, sedebit Episcopus Cardinalis, et alii Cardinales, si adessent, prope Legatum, ut supra dictum est: ipse autem simplex Episcopus sederet vel

ex opposito in sede humiliori, vel in digniori parte chori, aut in faldistorio, prout dictum est de Cardinali Legato vel non Legato præsentem, pro diversitate situationis chori et Episcopi celebrantis vel non celebrantis.

8. Quod si Episcopus sit Cardinalis, et intersit alius, vel plures Cardinales non Legati, poterunt omnes ab eadem parte Evangelii, ubi solet esse sedes episcopalis, sedere in sedibus æqualibus, vel in digniori parte chori, quando est sub tribuna: dummodo Cardinalis Episcopus sit omnium postremus: et episcopalia munia remittet exercenda Cardinali præsentem, vel si plures sint, priori in ordine. Quæ si Cardinalis præsens facere recusaverit, poterit Episcopus Cardinalis omnia prædicta munia, vel remittere ad Celebrantem, vel ipse exercere, et in fine quando benedictionem solemnem erit daturus, accedere ad altare, et inde populo benedicere, ut supra *cap. IV. §. III.* dictum est.

9. Metropolitanus, absente Legato vel alio Cardinali, habebit aliam sedem ex opposito in cornu Epistolæ similiter ornata, ut sedes episcopalis: alii vero Episcopi hospites sedebunt in digniori loco post Episcopum Diœcesanum super omnes Canonicos. Abbates Diœcesani benedicti, habentes usum mitræ et baculi, habebunt locum condecens pro iudicio et prudentia Episcopi, dummodo non sint supra, nec inter Canonicos.

10. Nuntii Apostolici, habentes in eo loco facultates Legati de latere, sedebunt in alia sede ornata, prout de Metropolitano dictum est, non tamen in sede propria Episcopi, et habebunt honores ante Episcopum non celebrantem. Alii vero Nuntii Apostolici, non habentes facultates Legati de latere, vel habentes, sed non in eo loco, et dum sunt in itinere, et contingat eos transire per aliquas civitates, vel Ecclesias Cathedralis, seu Metropolitanas, sedebunt in digniori et eminente sede chori, et habebunt honores immediate post Episcopum, et in processionibus et aliis actibus similibus habebunt præminentiam supra omnes Protonotarios, et supra Canonicos.

11. Visitator Apostolicus, si erit Episcopus, habebit sedem sicut Nuntius, non habens facultatem Legati de latere, nisi talis Nuntius esset præsens, cui tunc cedit, sedens post eum.

12. Vicario Generali dabitur locus quem habere solet pro consuetudine diversarum Ecclesiarum. Protonotarii Apostolici non par-

tipantes, post Abbates; participantes vero præcedunt Abbates. Post Protonotarios, Generales Ordinum, deinde alii Prælati Apostolici.

13. Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis, Magistratibus, ac Principibus, quantumlibet magnis, et primariæ nobilitatis, plus minusve, pro cujusque dignitate et gradu ornatae, debent extra chorum et presbyterium collocari, juxta sacrorum Canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab exordiis christianæ religionis introductæ, ac longo tempore observatæ.

CAPUT XIV.

Umbraculum, seu baldachinum, et super Altare, et supra sedem Episcopi statuatur. Ejus forma et color. Alterum umbraculum pro rebus sacris in processionibus gestandis. A quibus hoc umbraculum deferendum, et quo ordine.

Umbraculum seu baldachinum duplex est, aliud quod appendi in sublimi debet supra altare et supra sedem Episcopi, forma quadrata, colore ubi commode fieri possit, conformi colori ceterorum paramentorum, pro temporum ac celebritatum varietate; aliud, quod supra Episcopum, ac res sacras in processionibus gestari consuetum est, sex vel octo hastis sublevatum, quæ quidem per nobiliores laicos deferri solent, ita ut, cum via est longior, qua procedendum est, primo loco illustriores viri illas deferant, quæ ante Episcopum gradatim primæ conspiciuntur. Porro color baldachini et umbellæ in processionibus, in quibus defertur Ss. Sacramentum, sit albus.

2. Ordo autem hujusmodi hastas gestandi talis est, ut dignior ferat primam hastam, quæ est ante Episcopi dexteram; secundus alteram, quæ prima est ante Episcopi sinistram; tertius aliam, quæ immediate est sub prima a parte dextera; quartus aliam, quæ succedit primæ a parte sinistra; quintus tertiam hastam a parte dextera; sextus tertiam a parte sinistra, et sic deinceps; ita ut minus digni habeant postremas hastas post tergum Episcopi. Deinde, si via erit longior, distribuendum erit onus ferendi hastas prædictas ceteris civibus et nobilibus civitatis, seu officialibus, vel sodalita-

tibus aut aliis pro locorum consuetudine, iudicio Episcopi moderanda, ubi opus videbitur, ne rixæ aut contentiones oriantur.

3. Quod si inter digniores et illustriores plures essent, qui de æquali gradu aut præeinentia contenderent, adeo ut omnibus his primo loco hastæ baldachini assignari nequirent, relinquitur his ultimus locus, idest, ubi processio jam pervenit ad ecclesiam, ad quam dirigitur; talis enim locus reputatur primo æqualis.

4. Illud etiam observari solet, et cum sanctissimum Sacramentum in processione sub baldachino defertur, primo loco deferant hastas Sacerdotes digniores de Capitulo, sive sint Dignitates, sive Canonici, sive Beneficiati, aut Mansionarii digniores, juxta consuetudinem ecclesiæ, sive illi sint parati sacris vestibus, sive non; prout processio fit cum paramentis, vel sine illis: sicut in *cap. XXXIII. lib. II.* dicitur.

CAPUT XV.

Habitus Episcopi accessuri ad ecclesiam pro re divina facienda. Canonici omnes in habitu canonicali ad illum proficiscantur, ac eum cappa indutum ad ecclesiam comitentur. Ordo procedendi, si est Archiepiscopus, vel Cruce utatur. Quomodo Episcopus exiire debeat Cardinalem Legatum, vel non Legatum, qui rei divinæ interfuturi sint. Certis diebus in accessu Episcopi ad ecclesiam campanæ pulsandæ, et in solemnioribus etiam organa. Ubi orare et parari debet Episcopus. Quando Canonici sumere debent sacra paramenta. Ordo procedendi ad Missam solemnem. Quo ritu procedendum sit ad Vesperas et ad Missam in ecclesiis Collegiatis.

Cum Episcopus rei divinæ peragendæ causa ad ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum ecclesiastico et canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere; eumque cappa indutum, cujus caudam Capellanus, seu Caudatarius talari veste incedens, sustinet atque defert, et si Episcopus Missam pontificali ritu sit celebraturus, vel in sede cum pluviali assistet, tunc Caudatarius superpelliceo indutus, eam deferat, ex ea aula, seu cubiculo, quod ad hoc destinaverit, ad ecclesiam progredientem, comitari et deducere.

2. Præbunt familiares Episcopi, et si aderit, Magistratus, aut alii nobiles et illustres viri immediate ante Episcopum; tunc ipse Episcopus, et post eum sequuntur Canonici bini, juxta antiquam et

canonicam disciplinam. Quod si fuerit Archiepiscopus, aut alius utens cruce, ipsa crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem Capellanum deferetur, imagine crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam et Archiepiscopum nullus omnino incedat, est enim insigne ipsius.

3. Eo ordine procedent usque ad portam primariam ecclesiæ; ibi dignior ex Capitulo porriget Episcopo adpersorium cum osculo adpersorii et manus. Episcopus adperget primo seipsum, detecto capite, deinde Canonicos et alios circumstantes incipiendo a digniori.

4. Sed si forte S. R. E. Cardinalis Legatus, vel non Legatus venturus esset ad ecclesiam, et rei divinæ interfuturus, tunc Episcopus ei obviam ire debet usque ad portam ecclesiæ prædictam, et adpersorium porrigere ipsi Legato cum solitis osculis adpersorii et manus, qui se et alios adperget. Si vero esset Cardinalis non Legatus, debet quidem Episcopus ei obviam ire usque ad prædictam ecclesiæ portam, sed adpersorium non Episcopus, sed prima Dignitas, jubente Episcopo, Cardinali non Legato porriget. Interim, nisi celebretur pro Defunctis, vel in diebus ferialibus, nisi, etiam quoad dies feriales, alia sit consuetudo, campanæ ecclesiæ pulsabuntur, et in festis solemnibus etiam organa.

5. Mox perget Episcopus ad altare Ss. Sacramenti, ubi genuflexus super pulvino, aut genuflexorio ibi parato, orabit; sed ante dictam genuflexionem, genuflectet prius in plano solo absque pulvino; et similiter, cum voluerit discedere ab oratione, ob reverentiam sanctissimi Corporis Christi: mox accedet ante altare majus, ubi pariter post profundam cruci inclinationem, genuflexus orabit.

6. Si fuerit festus solemnisque dies, et ipsemet Episcopus Vesperas sit celebraturus, postquam pervenerit ad ecclesiam ordine supradicto, dum genuflexus orabit ante altare majus, vel aliud ubi Vesperæ sunt celebrandæ, poterit in genuflexione aliquantis per morari, dum Canonici sumant sacra paramenta, post Episcopum stantes, videlicet, illi, qui habent Dignitates, pluvialia; Presbyteri, casulas; Diaconi et Subdiaconi, dalmaticas et tunicellas coloris convenientis, acceptis prius per eosdem Canonicos et circa collum compositis, amictibus. Sed, si haberi non possunt paramenta pro omnibus, saltem quatuor, aut sex primi, habeant pluvialia. Episcopus autem capiet paramenta in sede sua.

7. Cum vero Episcopus Missam solemnem celebraturus erit, postquam ingressus fuerit ecclesiam, et ante Ss. Sacramentum tantum, et non ante aliud altare oraverit, ibit recta via ad sacristiam, vel ad alium locum præparatum infra Ecclesiam, et ibi induet paramenta pro se ipso præparata, recitando solitos psalmos, versiculos et orationes, stantibus in gyrum, vel sedentibus Canonicis, jam alio loco paratis; prout Episcopus interim stabit, vel sedebit; quo tempore per chorum decantabitur hora Tertia, ut dicitur in *cap. VIII. lib. II.*

8. Deinde, finita Tertia, et parato Episcopo, cum solitis cæremoniis procedetur ad altare processionali modo; quo casu Canonici parati, ut supra, antecedent Episcopum immediate. Crux vero Capituli deferatur per alium Subdiaconum paratum tunicella inter duos ceroferarios, præeunte acolytho cum thuribulo et navicula, ante omnes Beneficiatos, aliosque de clero illius ecclesiæ. Sed, si Celebrans erit Archiepiscopus, crux Archiepiscopalis defertur per Subdiaconum, ut supra, ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero, imagine crucifixi ad illum conversa.

9. Ideo autem hoc casu Canonici parati antecedunt Episcopum, quia itur sacra processione; secus quando non sunt parati, nec Episcopus procedit cum pluviali et mitra, vel cum planeta, sed tantum in cappa; tunc enim ipse debet anteire, Canonici vero subsequi, ut dictum fuit, quia non est processio sacra.

10. Valde tamen probandum esset, si in solemnioribus festi-
tibus Episcopus, etiam non celebraturus, procederet ad ecclesiam; et tam Vesperis quam Missæ interesset, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola, pluviali et mitra paratus.

11. In redeundo idem ordo servetur, non tamen cum sacris paramentis, quæ statim, expletis Vesperis aut Missa, deponuntur ibidem in choro. Itaque in accessu Episcopi et Canonicorum ad Ecclesiam, ac reditu eorumdem, serventur ea, quæ *lib. I. cap. II. §. VI. et cap. XII. ac XVIII.* præscribuntur.

12. In ecclesiis Collegiatis, diebus solemnibus, Canonici in eorum habitu canonicali ad Vesperas procedent a sacristia bini, præcedentibus duobus ceroferariis cum cruce, et aliis de Capitulo; ultimo loco Celebrans paratus pluviali, officio et festo, quod celebratur, convenienti, et ante ipsum quatuor, aut sex alii pluvialibus induti.

13. Ad Missas eodem ordine procedunt, nisi quod Celebrantem paratum planeta, et reliquis paramentis Missalibus, præcedunt Diaconus et Subdiaconus, parati dalmatica et tunicella, vel, pro temporis qualitate, planetis ante pectus plicatis, ut suo loco dicitur: Diaconus scilicet immediate ante Celebrantem, Subdiaconus vero ante Diaconum manibus junctis, nec alii præter ipsos erunt parati.

14. Dominicis vero diebus, quia clerus et populus ante Missam aqua benedicta per Celebrantem est adspargendus, oportet illum incedere pluviali indutum, inter Diaconum a dextris et Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea, facta aquæ benedictæ adspersione, et dicta oratione, et deposito pluviali, accipiet manipulum et planetam, et incipiet Missam. Calix vero cum patena et bursa, liber Missalis, et alia necessaria præparentur prius per clericos apud altare in mensa ad id erecta.

CAPUT XVI.

Pallium extra Romanam Curiam ex mandato Summi Pontificis tradendum est ab Episcopo, cui id munus committitur, die præstituta in Ecclesia Metropolitana, vel alia magis commoda in Provincia Electi. Qui tradit pallium, Missam celebret. Quo ritu tradatur. Quibus diebus eo uti liceat. Modus pallii imponendi. Electus, ante receptionem pallii, neque Patriarcha, neque Metropolita vocandus. Qui pallio utuntur, cum eo sepeliendi sunt.

In tradendo pallio extra Romanam Curiam, consuetudo ab immemorabili tempore est, ut Summus Pontifex uni aut duobus Episcopis committat illius traditionem, qui præstituta die convenire debent cum ipso electo, cui pallium tradendum est, in Ecclesia Metropolitana, vel alia magis commoda suæ Provinciæ, nisi necessitas aliud suadeat, ubi Missa celebranda erit, et post Communionem Celebrantis ponetur in medio altaris pallium extensum, serico coopertum; ac finita Missa, diei propria, quam maxime deceret, ut Episcopus, qui pallium traditurus est, celebraret; ipsemet Episcopus, sive Episcopi Commissarii in faldistorio ad cornu Epistolæ, electo, alio loco jam parato, induuntur amictu, stola, pluviali et mitra simplici, ac sedentes ante altare super faldistoriis, aut aliis sedibus, juramentum fidelitatis, nomine Sedis Apostolicæ accipient ab ipso electo genuflexo et induto omnibus paramentis pontifica-

libus, præter chirothecas et mitram, nisi illud prius præstitisse legitime docuerit, juxta formam litterarum Apostolicarum felicis recordationis Sixti Papæ V.

2. Quo præstito, surgent Episcopi, vel Episcopus, cum mitris, et accipient de altari pallium; quorum senior illud super humeros electi, ante se genuflexi, imponet, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei etc.* ut in Pontificali habetur. Quo facto, surget Patriarcha, vel Archiepiscopus cum pallio, adscendet ad altare, Crucem ante se habens, et detecto capite, populo solemniter benedicet, dicens: *Sit nomen Domini etc.* Deinde dimissis in Ecclesia vel in secretario paramentis, omnes recedent.

3. Pallio autem utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis Provinciæ suæ, non autem extra Provinciam, et dumtaxat, dum Missam solemnem celebrat, præscriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiæ Metropolitanæ exprimi solent.

4. Quod si non reperiantur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem, quæ est, ut eo utatur diebus infrascriptis, videlicet, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli et Evangelistæ, Circumcisionis et Epiphaniæ Domini, Dominica in ramis Palmarum, Feria quinta in Coena Domini, Sabbato sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus festis sequentibus; Dominica in Albis; in Ascensionis, Pentecostes, S. Joseph Sponsi B. M. V., S. Joannis Baptistæ, duodécim Apostolorum festivitibus, in festo Corporis Christi, quinque festivitibus gloriosæ Virginis, idest Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatæ Conceptionis, in festo omnium Sanctorum, in Dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus festivitibus Ecclesiæ Metropolitanæ, in Ordinationibus Clericorum, Consecrationibus Episcoporum, Abbatum et Virginum, in diebus anniversariis Dedicationis Ecclesiæ principalis et Consecrationis suæ. Aliis autem diebus, in privilegiis non expressis vel inter prædictos non comprehensis, Archiepiscopus, si voluerit in Pontificalibus celebrare, uti non debet pallio.

5. Quando autem pallium imponitur Archiepiscopo, semper imponitur super planeta, ita ut pars duplex pallii ponatur super sinistrum humerum. Modus autem impositionis pallii et trium spinularum gemmatarum, quæ in illud infiguntur, exponitur in *cap. VIII, lib. II.*

6. Electi vero ad Patriarchales, vel Metropolitanas Ecclesias, non ante Patriarchæ, vel Archiepiscopi appellari possunt, quam pallium receperint; sed nec translati de una Ecclesia Metropolitana ad aliam, uti possunt pallio, quod pro prima Ecclesia acceperant; nec pallio sui prædecessoris defuncti, nec translati: sed opus est, ut iterum pro nova Ecclesia petatur, et habeatur novum pallium; nec interim ipsis Electis licet Pontificalia munia exercere.

7. Post obitum debent Archiepiscopi cum pallio sepeliri, si quidem sepelianſur in Provincia sua, circa humeros supra planetam; si vero extra Provinciam, ponendum erit pallium plicatum sub eorum capite. Curent igitur Archiepiscopi, ut pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio et auctoritas, digne et honorifice asservetur, puta serico involutum, ac in capsula intus et extra pulchre ornata, vel serico obducta inclusum, tamquam venerabile ipsius Archiepiscopi insigne, mysticis significationibus plenum.

CAPUT XVII.

Mitræ usus, et ejus species triplex. Pretiosa quando Episcopus utatur. Quando auriphrygiata, et quando simplici. Baculo pastorali utitur in Civitate, et sua Diœcesi tantum et quando.

Mitræ usus antiquissimus est, et ejus triplex est species: una, quæ pretiosa dicitur, quia gemmis et lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet; altera auriphrygiata sine gemmis, et sine laminis aureis vel argenteis; sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis; tertia, quæ simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea ex tela alba confecta, rubeis lacinis, seu frangiis, et vittis pendentibus.

2. Pretiosa utitur Episcopus in solemnioribus festis, et generaliter quodcumque in officio dicitur Hymnus *Te Deum laudamus etc.*, et in Missa *Glória in excelsis Deo etc.* Nihilominus in eisdem festis, etiam auriphrygiata uti poterit: sed potius ad commoditatem, quam ex necessitate; ne scilicet Episcopus nimis gravetur, si in toto officio pretiosa utatur; propterea usu receptum est, tam in Vespe-

ris quam in Missis, ut pretiosa utatur Episcopus in principio et in fine Vesperarum et Missarum solemnium, ac eundo ad Ecclesiam et redeundo ab eadem, cum paramenta sumit ac deponit in secretario, et quando lavat manus, et dat benedictionem solemnem. In termedio autem spatio, loco pretiosæ, accipit auriphrygiatam, juxta normam jam superius declaratam in *cap. XI. lib. I. §. VI.* ubi de officio et cura servientis de mitra dictum est.

3. Auriphrygiata mitra utitur Episcopus ab Adventu Domini usque ad festum Nativitatis, excepta Dominica tertia Adventus, in qua dicitur Introitus *Gaudete in Domino semper etc.* ideoque in signum lætitiæ utitur tunc pretiosa. Item a Septuagesima usque ad feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusive, excepta Dominica quarta Quadragesimæ, in qua dicitur Introitus *Lætate Jerúsalem etc.* Item in omnibus vigiliis, quæ jejunantur, et in omnibus Quatuor Temporibus, in Rogationibus, Litaniis et Processionibus, quæ ex causa poenitentiae fiunt; in festo Ss. Innocentium, nisi veniat in Dominica: et benedictionibus, et consecrationibus, quæ private aguntur. Quibus quidem temporibus abstinet Episcopus a mitra pretiosa. Poterit tamen Episcopus, dum utitur auriphrygiata, uti etiam simplici eodem modo et forma, prout de pretiosa et auriphrygiata dictum est.

4. Simplici vero mitra utitur Episcopus feria sexta in Parasceve, et in Officiis et Missis Defunctorum. Sed quia, cum Episcopus utitur Mitra, utitur etiam baculo pastorali in sua Diœcesi, de eo etiam breviter dicendum est.

5. Utitur ergo Episcopus baculo pastorali in sua tantum Civitate, vel Diœcesi, et etiam alibi ex permissione loci Ordinarii, et ubi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere, ipsi Apostolica auctoritate conceditur.

6. Utitur autem in omnibus processionibus, quæ si longioris viæ fuerint, faciet illum ante se immediate deferri a ministro, qui de eo servit, pluviali induto, quem portabit ambabus manibus a terra elevatum. Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, vel privilegium, ut aliquis de Capitulo dignitatem habens, baculum ante Episcopum deferat, servari poterit. Si vero processionis via fuerit brevis, poterit ipsemet Episcopus sinistra manu illum deferre; quod intelligendum est, quando Episcopus erit paratus pluviali et mitra.

7. Item in Vesperis pontificalibus, dum procedit paratus de al-

tari ad sedem, vel e contra, et dum dicitur Canticum *Magnificat anima mea etc.* ac dum populo benedicit.

8. Item in Missa pontificali, dum procedit de secretario ad altare, et cum ad eundem locum revertitur; et quoties de altari ad sedem, vel de sede ad altare procedit; dum Evangelium cantatur, cum in medio Missæ et in fine dat benedictionem solemnem; videlicet, dum incipit producere signum Crucis, et non prius; et in omnibus actibus pontificalibus, qui per ipsum Episcopum exercentur, ut in ordinationibus, benedictionibus, consecrationibus, et hujusmodi, quæ in suis locis propriis habentur; dummodo, ut dictum est, Episcopus sit paratus pluviali et mitra, aut saltem mitra et stola; nam mitra et baculus in Episcopis sunt correlativa.

9. Excipiuntur tamen ab hac regula officia et Missæ pro defunctis, in quibus usus baculi cessat.

CAPUT XVIII.

Quo ritu Episcopus in accessu ad ecclesiam genuflectere, orare, et reverentias facere debeat. Quo item Canonici, ceterique de Clero. Ubi permanere, et quando genuflectere et surgere eos oporteat, Episcopo orante, vel divinis Officiis, aut Missa inceptis. Item quid observandum, si Prælati, vel Laici ex Magistratu superveniat. Quando assurgere et reverentias facere conveniat inter divina mysteria. Ad lotionem manuum Episcopi, ministri genuflexi officium expleant. Quoties aliquid Episcopo celebranti porrigitur ac ab eo recipitur, toties ipsa res et manus Episcopi celebrantis, aut Legati præsentis, vel alterius celebrantis osculandæ, præterquam in Missis Defunctorum.

Episcopus, a quo ceteri exemplum sumunt, cum primum Ecclesiam ingreditur, detecto capite, sumptaque aqua benedicta, ut suo loco declaratum fuit, procedet ad locum Sanctissimi Sacramenti; deinde ad altare majus, et utrobique genuflexus, orabit devote et congruenti mora, et facta prius ante altare Sanctissimi Sacramenti genuflexione in plana terra, antequam in genuflexorio genuflectat; et similiter finita oratione, antequam discedat, ut explicatum fuit in *cap. XII. §. IX. lib. I.*

2. Si mitram habebit, ut dictum est supra *cap. II. §. V. et cap. XII. §. IX.* deponet illam, dum orat, et post orationem resumet, et cum ea faciet altari majori reverentiam, caput inclinando antequam

inde discedat, et cum incipit ascendere ad sedem suam, salutatur
dica capitis inclinatione Canonicos hinc inde stantes.

3. Ipsi vero Canonici, cum pervenerint ad altare majus, simul
cum Episcopo profunde se inclinant, et statim accedunt ad loca sua
in choro, ubi etiam genuflectunt, et permanent orantes, quamvis
Episcopus orat; quo surgente, et ipsi surgunt; et cum Episcopus e
salutat, capite detecto, profunde se inclinant: et regulariter quotiens
ipsi Canonici transeunt directe ante altare, vel ante Episcopum, capi-
tulum et humeros profunde inclinant: Beneficiati autem et ceteri
Clero genuflectere debent, transeundo tam ante altare quam ante
Episcopum.

4. Si autem quispiam Canonicus superveniat, inchoato jam Of-
ficio, vel Missa, absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur
statim genuflectit versus altare, parumper orans; mox surgit,
facit reverentiam profundam altari et Episcopo; deinde salutatur
Canonicos et alios de choro circumstantes, tunc, et non prius eis
surgentes, et eum resalutantes, et vadit ad locum suum. Et, si for-
tunc esset principium Horarum, et diceretur in choro *Deus in adju-
rium etc.*, vel *Glória Patri etc.* aut Hymnus, vel in Missa Oratio
aut Epistola, aut Evangelium; vel denique aliquid aliud fiat, in
quod chorus, vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliqua
moram, exspectabit respective, stans, vel inclinatus, vel genuflexus
separatim in medio chori, prout ipse chorus, donec ea perficiantur
mox factis reverentiis et salutationibus, ut supra, ibit ad locum suum.

5. Idem observatur, si aliquis Prælati, aut nobilis Laici, vel
ex Magistratu, aut Officialibus civitatis, qui divinis Officiis interes-
solent, supervenerit Officio, vel Missa jam incepta: non enim prius
ad suum locum ibit, quam fecerit genuflexus orationem versus
altare; deinde reverentiam altari et Episcopo; et Canonicos, aliosque
nobiles Laicos, aut Magistratum, suosque æquales capitis nutu
salutaverit; et si aliquid ex supradictis recitabitur in Missa, vel
in choro, exspectabit finem, stans, ut de Canonicis dictum est; et mox
surgentibus eisdem Canonicis et Laicis, quos ipse salutaverit,
eis resalutabitur.

6. Mansionariis vero, seu Beneficiatis, et aliis de Clero super-
venientibus, ut supra, facta oratione et debita reverentia altari, Ep-
scopo et Canonicis; nullus ex Canonicis, aut ex Magistratu, vel
Nobilibus supra dictis assurgat, sed tantummodo alii Mansionarij

Clerici eorum æquales, vel inferiores. Et qui solent gestare almu-
m, dum assurgunt, a scapulis ad brachia dimittant.

7. Illud quoque pro regula observandum erit, ut æqualiter omnes
ædicti, qui de eodem corpore sunt, cum sedendum erit, sedeant,
im vero surgendum est, surgant. Sunt enim diversa corpora, seu
iori ministrantium, dum divina res solemniter celebratur; primus
quidem chorus est assistentium et ministrantium Episcopo cele-
branti; alter Canonorum in suis subselliis residentium; alter Ma-
stratum, vel Nobilium Laicorum; alter Beneficiorum, et reli-
torum Clericorum.

8. Cum igitur aliquis ex assistentibus Episcopo surgit, facturus
iquid ad officium suæ assistentiæ pertinens, pariter alii et coassi-
entes et ministri circumstantes surgere debent, non tamen Epi-
opus, et sic stare, donec ille sedeat: nec ideo tunc reliqui Cano-
ci in choro sedentes, nec alii de choro surgunt, tamquam diversi
iori.

9. Similiter aliquo ex Canonicis in choro residentibus surgente,
aliquid faciat ad publicum, et commune chori officium spectans,
ita cum intonatur Antiphona, seu aliquid simile, omnes alii Ca-
noci, etiam Beneficiati, et Clerici ab utroque latere chori assurgunt,
æter prædictos, qui Episcopo assistunt.

10. Inter Laicos quoque, uno surgente ratione officii, ut cum
itur illis incensum, aut pax, ceteri quoque surgunt; secus vero,
urgentibus aliis non sui ordinis.

11. Si Episcopus non celebraret, sed aliquis Suffraganeus, vel
ius Episcopus, præsentem ipso Episcopo, adhuc efficeretur alius cho-
is ministrantium Celebranti, qui eandem regulam servare debent,
eadem sedendum et surgendum, prout de aliis dictum est.

12. Cum autem Episcopus surgit, singuli chori tam Canoni-
orum et Beneficiorum, quam Laicorum et Celebrantis consur-
gere debent.

13. Est et alia regula circa reverentias observanda; videlicet,
im aliquis ex Canonicis vel ministris, transeundo ante Celebrantem,
tare, et Episcopum, vel aliquem majorem, facturus erit plures
reverentias, non inspicitur, cui prius vel postea reverentiâ exhibea-
tur, sed tantum commoditas gradientis; puta si ille discedit a Cele-
brante, iturus ad Episcopum, et transiturus ante altare, primo fa-
et reverentiam Celebranti, tum altari, et ultimo loco Episcopo,

et pari ratione, si discedit ad Episcopo, iturus ad Celebrantem, primo Episcopo, deinde altari, ante quod transit, ultimo Celebranti reverentiam faciet. Et breviter reverentia fieri debet semper primo ei, a quo disceditur, et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu quis eorum sit major.

14. Regula etiam est, ut si plures in eodem loco veniant Prælati, ac etiam Legatus et Cardinales, uni tantum ex ipsis, qui erit major, puta Legato, et Celebranti reverentia exhibeatur.

15. Cum Episcopus celebrat, et familiares, vel nobiles, qui ei ad lotionem manuum ministrant, genuflexi officium suum peragunt, nisi adesset Legatus Cardinalis, vel suus Metropolitanus, quo casu, ob reverentiam illorum, non genuflexi, sed inclinati ministrant. Et pari modo, si aliquis Suffraganeus vel alius Episcopus celebraret, præserte proprio Episcopo.

16. Illud quoque sciendum est, quoties aliquid offertur Episcopo celebranti, aut Legato, qui rei divinæ intersint; ac etiam cum aliquid ab eis recipitur, toties osculanda est res, quæ offertur, ac deinde manus recipientis, et cum ab eisdem aliquid recipitur, primo manus, deinde res, quæ recipitur: præterquam in Missis Defunctorum, in quibus talis deosculatio omittitur, ut suo loco dicitur. Idem observandum est erga alios celebrantes, absente Episcopo.

CAPUT XIX.

Ordo, et modus jungendi, disjungendi, elevandi, tenendique manus per Episcopum, vel alium celebrantem. Quomodo vertere et convertere se debeat ad altare vel faldistorium, et e contra. Quid observabit in osculatione altaris.

Illud in primis observandum erit ab Episcopo, ut cum, sacris vestibus paratus, ad Missam seu Vesperarum solemnia progreditur, nisi pastorem baculum deferat, semper junctis manibus incedat, hoc est, palmas extensas, ac simul junctas ante pectus habeat, pollice dextero super sinistro in Crucis modum posito; interdum tamen illas disjungit, ut populo manu dextera aperta benedicat, ac mox iterum jungit: easque sic junctas semper tenet, dum genuflexus orat, dumque ab altari ad sedem, vel a sede ad altarem progreditur.

2. Cum autem sederit, sive in sede sua episcopali, sive in faldistorio, si est paratus planeta, palmas disjunctas apertas super gremiali hinc inde positas, quasi illud retinens, habebit.

3. Sed cum surgit, dicturus *Glória in excelsis Deo etc.*, *Pax vobis*, seu *Dóminus vobiscum*, vel *Credo in unum Deum etc.*, et similia, easdem sic junctas tenens, cum ea verba incipit proferre, aliquantulum disjungit, et mox, dum pronuntiat ultima verba ex prædictis, eas iterum ante oculos elevatas jungit, et cum aliqua ex prædictis versus altare dicit, ut *Glória*, *Credo*, et similia, caput aliquantum versus altaris crucem inclinat. Idem facit, cum in Præfatione dicit *Grátias agámus etc.*, et cum ante Orationes dicit *Orémus*. Cum vero orationes cantat, manus ipsas elevatas ac rectas ad humerorum æqualitatem retinet, ita ut palma palmam respiciat usque ad conclusionem orationis, idest *Per Dóminum nostrum etc.* Quod cum dicere incipit, illico manus jungit, et cum profert nomen Jesu, caput inclinat. Quoties autem dextera Oblata super altari vel alia signat, sinistram super altari tenet, et dextera manu aperta benedicit. Ubi-cumque vero seipsum signat, sinistram extensam tenet infra pectus. Quoties autem et quomodo post lectum Offertorium usque ad Communionem signare super Hostiam, aut Calicem, tam ante, quam post Consecrationem debeat, ac quo pacto manus et digiti sint extendendi, late declaratur in *cap. VIII. lib. II.* et habetur in Rubricis Missalis, ideo supervacuus labor esset illa hic repetere.

4. Quando vero et quomodo vertere et convertere se debeat, hoc regulariter observandum erit, ut quando Episcopus, vel Suffraganeus, aut alius Prælatas celebrat apud faldistorium, prout Episcopo occurrere potest, præsentem Legato, vel alio Cardinali, ut alibi dictum fuit, tunc diverso modo observatur. Si altare erit sub tribuna, ita ut sedes episcopalis sit e regione illius parieti adhærens, habens hinc inde sedilia Canonicorum, quo casu Episcopus sedens in faldistorio vertit terga populo et tunc surgens salutaturus populum, dicendo *Pax vobis*, vel *Dóminus vobiscum*, vertit se per latus suum dexterum versus altare ad populum; et per idem latus revolvit se, stans facie conversa ad altare, et cantat Orationes, seu legit, quæ sunt legenda, et pariter ab eodem latere vertit se versus altare, cum dicturus est *Glória in excelsis Deo*, aut *Credo in unum Deum etc.* Si vero altare sit adhærens parieti, et sedes episcopalis in latere Evangelii juxta differentiam positam in *cap. XIII. lib. I. §. II.* tunc,

quia Celebrans in faldistorio sedens habet faciem suam versus populum, surgit, salutaturus populum, non vertit, sed, eo salutato, volvit se per latus sinistrum, non versus altare, sed potius versus crendentiam, et legit, quæ sunt legenda ex libro.

5. Hi autem modi vertendi et convertendi se apud faldistorium, secundum diversas positiones altaris, quamquam videantur inter se diversi, tamen in substantia non differunt: nam utroque casu id fit respectu altaris, quod primo casu præsupponitur esse ante faciem Celebrantis; ideo cum se vertit ad populum, vertit se per latus suum dexterum; secundo vero casu, quia Celebrans sedet in faldistorio versa facie ad populum, præsupponitur vertere terga altari, ideo salutato populo, vel cum dicturus est *Glória in excelsis Deo*, aut *Credo in unum Deum* absque salutatione vertit se ad faldistorium, quasi ad altare per latus suum sinistrum prout faceret quisque Celebrans stans apud altare, qui, ut dictum est, regulariter vertit se ad populum per latus suum dexterum, et per idem latus se revolvit, quod revolvendo est sibi sinistrum: numquam enim perficit circulum, nisi cum vertit se dicendo *Oráte fratres*, et in fine Missæ, quando dat benedictionem; nam tunc vertit se per latus Epistolæ, et convertit per latus Evangelii perficiendo circulum.

6. Postremo advertendum est, dum Celebrans stat ante altare, et se ad populum vertit, ut prius osculetur altare in medio, nullam tamen ibi Crucem manu vel pollice designans: et regulariter, quoties a sede vel faldistorio ad altare accedit, illud in medio osculatur.

CAPUT XX.

Prope Episcopum, si Missam solemnem celebret, sive eidem assistat, liber Missalis tenendus est a ministro, cotta induto, cui additur minister de candela. Quænam ex eodem libro legat. Quid observandum, si Missæ intersint Legatus de latere aliquis Cardinalis, Metropolitanus, et Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de latere.

Cum Episcopus in Missis solemnibus præsens est, quamvis ipsemet officium minime faciat sive sit pluviali et mitra, seu tantummodo cappa pontificali indutus; teneudus est prope ipsum liber Missalis, quem aliquis ipsius Minister cotta indutus, custodiet, et cum opus erit, illum super caput apertum tenens, offeret

ante Episcopum, accedente cum eo regulariter ad dexteram altero ministro, parvum instrumentum argenteum, quod vulgo *Bugiam* vocant cum candela desuper accensa, tenente, etiamsi aer sit lucidus, ita ut opus non sit lumine ad legendum.

2. Ex hujusmodi libro Episcopus quatuor leget infra posita; videlicet, primo Introitum; secundo Epistolam, Graduale, *Allelúja*, Sequentiam, sive Tractum, et cetera usque ad Evangelium inclusive; tertio Offertorium; quarto Postcommunionem.

3. Observandum tamen est, quod si forte hujusmodi Missæ interesset aliquis S. R. E. Cardinalis, sive Legatus de latere, sive non, aut aliquis Prælati ipso Episcopo superior, ut suus Metropolitanus et Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de latere, tunc ob eorum reverentiam Episcopus libro hujusmodi non utetur.

4. Cum vero ipsemet Episcopus celebrat, omnia prorsus quæ ad Missam pertinent ex libro recitabit, ut latius in *cap. VIII. lib. II. de Missa solemni, quæ ab Episcopo celebratur*, exponitur. In Vesperis autem Episcopus nihil ex libro legit, nisi Orationem, quam cantat in fine, ut in *cap. I. lib. II. de Vesperis* dicitur.

CAPUT XXI.

Quoties Episcopus sacris paramentis induitur, Dignitates et Capitulum stent circa ipsum, facientes circulum per ordinem. Quater in Missa solemni, quæ coram Episcopo celebratur, circuli fiunt. Qui ordo servandus a Canonicis in reverentiis faciendis et in circulis peragendis. Circuli in Missis tantum fiunt, non Vesperis, nec aliis, præterquam proprio Episcopo.

Quotiescúmque Episcopus sacris paramentis induitur in secretario, vel alibi ad Missam solemnem, vel ad Processionem iturus, Dignitates et Canonici debent circa illum stare, dum paramenta capit, detectis capitibus, quos tamen semel, aut iterum invitari ab Episcopo decet, ut caput tegant, cui illi reverenter obtemperent, se cooperiando.

2. Quo casu dignior ex omnibus tam Dignitatibus quam Canonicis stare debet a sinistris Episcopi, et alii per ordinem apud illum, facientes circulum usque ad ultimum, qui versus dexteram Episcopi stabit; quod ita fiet, ut commodior et facilior sit exitus,

cum ultimi, qui ad dexteram consistunt, debeant esse primi exeundo a dicto loco: alias regulariter, digniores semper a dextris Episcopi stare debent.

3. In Missa quoque solemnī, quæ non ab Episcopo, sed coram eo celebratur, quater circuli fiunt; primo cum Episcopus stans in sua sede legit Introitum, et dicit *Kýrie eléison etc.* et successive Hymnum Angelicum *Glória in excélsis Deo etc.* postquam intonatus erit a Celebrante, si recitandus sit. Canonici enim opportuno tempore, discedentes ab eorum sedilibus, procedunt ad medium chori, factis altari et Episcopo reverentiis, et se sistunt in circulum ante Episcopi faciem, quod diversimode fit pro diversitate situationis altaris et sedis episcopalis. Si enim altare adhæreat parieti, et sedes episcopalis sit in latere Evangelii, incipient procedere juniores Canonici a sedili Diaconorum, ita ut ultimus Canonicus consistat ante faciem Episcopi, quos gradatim alii sequuntur, perficiendo circulum; et dignior Canonicus, sive Dignitas, modicum a suo sedili digressus, stat ad dexteram Episcopi. Si vero altare erit sub tribuna, et sedes episcopalis ex opposito altaris, tunc Canonici venientes ad circulum, procedunt simul ab utraque parte, non perficientes circulum, ne terga vertant altari, sed facientes hinc inde semicirculum, et sic stantes, dicunt cum Episcopo *Kýrie eléison*, quo dicto, si dicendum sit *Glória in excélsis Deo etc.*, exspectant ibidem, donec Celebrans incipiat *Glória in excélsis Deo*, et ipsi cum Episcopo prosequantur usque ad finem. Quo finito, producente super eos Episcopo signum Crucis, quod sic semper in fine circuli observatur, factaque illi et altari reverentia, redeunt ad loca sua, eundemque ordinem servant quoties in Missa veniunt ad circulum; quod secundo erit, cum dicitur Symbolum, si dicendum est, in quo simul cum Episcopo genuflectunt ad articulum: *Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Virgine, et homo factus est.* Et si forte cum redeunt ad loca sua idem articulus cantetur a Choro, ubicumque erunt, pariter genuflectent, donec articulus perficiatur; tertio loco veniunt ad circulum circa finem Præfationis, ut dicant cum Episcopo *Sanctus, Sanctus etc.*, non tamen pectus percutientes; dicto *Benedictus qui venit in nómine Dómini etc.*, et facto super eos signo crucis ab Episcopo, recedunt; quarto, et ultimo, paulo antequam Celebrans dicat *Per ómnia sæcula etc.* ante *Pax Dómini etc.* iterum veniunt ad circulum, ut dicant cum Episcopo *Agnus Dei etc.* Et tunc, dum ve-

niunt ad circulum, et dum discedunt, amobus genibus versus altare genuflectant propter reverentiam Ss. Sacramenti, quod est super eo.

4. Cum Canonici a circulis revertuntur ad sedes suas, faciunt contrario modo, quam faciunt veniendo, quia primo revertuntur seniores, mox juniores.

5. Illud demum sciendum est, hujusmodi circulos fieri tantum in Missis, non autem in Vesperis, et cum Episcopus præsens est Missæ per alterum cantatæ, sive diebus festis, sive ferialibus, numquam autem quando ipsemet Episcopus celebrat; nec fieri ante ultimum, quantumvis Episcopo superiorem, etiam Legatum de latere, aut ejus Metropolitanum, et multo minus ante inferiorem, vel Suffraganeum, vel alium Episcopum, sed dumtaxat ante ipsum proprium Episcopum: qui tamen circuli, præsente Legato de latere vel Prælato superiore, ob eorum reverentiam omittuntur.

6. In Missis vero Defunctorum circuli non fiunt, nec feria sexta in Parasceve.

CAPUT XXII.

In Missa solemnī, quæ ab Episcopo celebratur, non decet haberi concionem nisi vel per ipsum Episcopum, vel per Presbyterum assistentem. Si Episcopus non celebret, habeatur per alium idoneum. Quis erit ejus habitus, si fuerit Clericus, et quis, si regularis. Concinator benedictionem ab Episcopo petat et indulgentias. Finita concione, e suggestu indulgentias publicat. Si sermo ob aliquam gravio- rem causam habendus est, finita Missa, habeatur. Oratio funebris post Missam Defunctorum dicenda.

Quemadmodum in *cap. VIII. lib. II. de Missa solemnī* dicitur, Episcopo solemniter celebrante non decet omnino sermonem haberi, nisi vel ab ipsomet Episcopo, vel ab aliquo Canonico, qui in eo casu servit Episcopo in Officio Presbyteri assistentis; atque ibidem et in *cap. VII. lib. I. §. IV.* declaratur, qua forma et modo id agere debeat.

2. Si vero Episcopus non celebret, sed Missæ per alium cantatæ intersit, tunc ab aliquo ex Clericis idoneo, de Episcopi licentia, sermo habendus erit; ejus habitus erit cappa super rochetum, vel alius, qui fuerit in Ecclesia proprius habitus canonicalis. Si autem fuerit Regularis, in habitu, ab ipso deferri solito in concio-

nando. Sermo vero regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti. Quicumque sermonem habiturus, finito Evangelio, ducendus est per Cæremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam, nisi fuerit Canonicus, genuflexus osculatur; Canonicus autem stans profunde inclinatus, osculatur manum; deinde benedictionem petit, dicendo: *Jube Domne benedicere*, cui Episcopus respondet: *Dóminus sit in corde tuo, et in lábiis tuis, ut digne, et fructuóse annúnties verba sancta sua. In nómine Patris, ✠ et Filii, et Spíritus Sancti. Amen.*

3. Accepta ab Episcopo benedictione, petit mox ab eodem Indulgentias, dicendo *Indulgéntias, Pater Reverendíssime*, cui Episcopus concedit Indulgentias consuetas; quibus habitis, cum debitis reverentiis recedit ac vadit ad ambonem, seu pulpitum, in quod cum conscendit, aliquantulum quiescit ac se componit, cooperiens caput, et statim, capite detecto, signat se signo Crucis, et genuflexus, recitat Salutationem Angelicam, non *Regína cœli*, etiam tempore Paschali, voce intelligibili et devota; mox surgit, et capite cooperto incipit sermonem.

4. Inter concionem, cum convertit orationem ad Episcopum, aut Legatum ibi præsentem, caput profunde inclinat. Finito sermone, capite detecto genuflexus exspectat finem confessionis, quam facit Diaconus, et ea finita, surgit et stans in eodem pulpito, seu suggesto, publicat Indulgentias ab Episcopo concessas, et statim descendit, receditque in pace; advertat propterea, ut formam pronuntiandi Indulgentias memoriter teneat.

5. Si vero habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubilæum, vel pro gratiarum actione ad Deum de aliquo felici nuntio aut publicatione foederis, seu in adventu alicujus maximi Principis, vel ex alia quacumque simili occasione, non debet infra Missam fieri, sed illa finita, nec tunc petitur benedictio.

6. Idem dicitur, si in Missa Defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri defuncti habeatur; quo casu fit statim, finita Missa, antequam fiat absolutio, ut in *cap. XI. lib. II. de Missa Defunctorum* dicitur, et in habitu ordinario.

CAPUT XXIII.

Quo ordine et modo thus in thuribulum imponatur, illudque benedicatur. Quo ritu fiat ab Episcopo vel Celebrante thurificatio in Vesperis solemnibus. Crux Altaris triplici ductu thurificatur. Altare, Reliquiæ, seu imagines Sanctorum quomodo incensandæ. Ritus thurificandi in Missa solemnè. Quando incensandi sint Legatus de latere, vel alius Cardinalis, Episcopus, Dignitates, et Canonici. Quo ritu thurificandum Ss. Sacramentum in altari expositum. A quibus et quo ordine thurificandi sint Legatus, Rex, Princeps magnus, Magistratus, et Nobiliores.

Circa thus benedictionem hoc servandum est, ut cum Acolythus sive Cæremoniarius affert thuribulum cum prunis ardentibus, sinistra; naviculam autem cum thure et cochleari, dextera, ad Episcopum, aut Celebrantem, illico adsit, vel primus Presbyter assistens, vel, si Episcopus celebrans est apud altare, Diaconus Evangelii, juxta regulas suis locis traditas, et accipit de manu prædicti Acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea existens, cum osculo cochlearis et manus episcopalis, offert eam Episcopo, dicens: *Benedicite Pater Reverendissime*. Episcopus vero, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula thus, illudque etiam ter in thuribulum mittit, dicens interim: *Ab illo benedicâris, in cujus honore cremâberis. Amen.*

2. Quo facto, ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format manu dextera signum Crucis super thus in thuribulo; ipse vero Acolythus thuribulum deferens, illud portat, et cum opus est, operculum per catenulam sursum trahit, juxta normam in *cap. XI. hujus lib. I. §. VII.* positam.

3. Materies autem, quæ adhibetur, vel solum et purum thus esse debet suavis odoris; vel si aliqua addantur, advertatur ut quantitas thus longe superet.

4. Hujusmodi thurificatio principaliter fit versus altare et crucem, ac reliquias et imagines Sanctorum super eo positas, hoc ordine. Nam imposito et benedicto thure, ut supra, Episcopus, vel Celebrans capit de manu Diaconi in Missa, vel de manu Presbyteri assistentis in Vesperis, thuribulum, videlicet sinistra catenulas, quibus thuribulum sustinetur in earum summitate, dextera vero easdem catenulas simul junctas, prope thuribulum tenet, ac thuribulum

sustinet, ita ut illud commode ducere versus crucem et imagines prædictas, et ad se retrahere possit; quod recte fit, si ipse Episcopus, aut Celebrans, accepto thuribulo, teneat dexteram quo fieri potest proximiorum ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dexteram et thuribulum, præsertim cum thurificatur Oblata; nam, si nimis thuribulum pendeat, nec commode, nec secure, nec decore illam actionem expedire possit, et facta Cruci profunda reverentia, thurificet illam triplici ductu.

5. Mox iterum facta Cruci reverentia, incensat altare ter ducens thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ, ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, duplici ductu thuribuli: deinde conversus ad altare, elevans manum, ab eodem latere illius planitiem, seu mensam ipsam in parte superiori, triplici ductu usque ad medium, ubi facta Cruci reverentia, procedit thurificando aliud latus altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii, et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii, similiter duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium altaris, ut fecit in cornu Epistolæ, deinde manu aliquantulum demissa, incensat frontem, seu anteriorem partem altaris, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium altaris: ubi denuo facta Cruci reverentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ, ubi sistit.

6. Si vero in altari fuerint reliquiæ, seu imagines Sanctorum, incensata ter Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio altaris, primum incensat eas, quæ a dexteris sunt, idest a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ, deinde prosequitur incensationem altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures reliquiæ, vel imagines, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

7. Finita hoc modo incensatione, sistens in cornu Epistolæ, reddit thuribulum Diacono, seu Presbytero assistenti, et si celebrat Missam, accepta mitra, ibidem triplici ductu thurificabitur, ut infra dicitur.

8. Dum autem Episcopus, seu alius Celebrans prædictam altaris thurificationem facit, advertat, ut se in ea graviter et decore gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum ducit reducitque, movens; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit; dexteram vero manum ac brachium commode, ac tractim cum thuribulo movebit; ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti mora reducat, et dum procedit thurificando altare, eundo et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est altari, totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent.

9. Hæc, quæ dicta sunt, observantur cum Episcopus vel alius in Vesperis vel in principio Missæ thurificat altare.

10. Cum vero, post Offertorium, Oblata et altare iterum thurificantur, Diaconus Evangelii porrigens naviculam Episcopo, vel Celebranti, dicit, ut prius, *Benedicite Pater Reverendissime*, cui ille respondet: *Per intercessionem Beati Michaëlis etc.* et accipiens thuribulum de manu Diaconi, nulla facta tunc Cruci reverentia, ter facit signum crucis cum eo super Calicem et Hostiam simul in modum crucis, et ter circum Calicem et Hostiam, scilicet bis a dextera ad sinistram, et semel a sinistra ad dexteram, Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextera, dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo. In prima incensatione *Incensum istud*; in secunda *a te benedictum*; in tertia *ascéndat ad te Dómine*; in quarta *et descéndat super nos*; in quinta, et sexta *misericórdia tua*.

11. Deinde facta reverentia Cruci, incensat illam et altare, eo modo, quo paulo ante dictum est, assistente semper ibi Diacono, qui, cum Episcopus Crucem incensat, amovet Calicem ad partem Epistolæ, et incensata Cruce, reponit in loco suo. Cum vero Episcopus incipit thurificare Crucem, inchoat illa verba *Dirigátur Dómine orátio mea etc.*, et reliqua sequentia prosequitur in incensatione reliquiarum et imaginum, si ibidem sint, atque ipsius altaris, ita ut ea taliter distribuat, ut eodem tempore finiantur verba et thurificatio.

12. Cum reddit thuribulum Diacono, dicit *Accéndat in nobis Dóminus ignem sui amoris etc.* Peragenda autem est hujusmodi thurificatio a quocumque Celebrante, semper detecto capite.

13. Et in Vesperis quidem semel tantum altaris et Celebran-

tis, deinde Episcopi, nisi ipsemet celebret, mox aliorum thurificatio fit, videlicet, inchoato Cantico *Magnificat etc.* sed in Missis solemnibus ter modo supradicto thus benedicitur, videlicet, in principio, antequam dicatur Introitus, et tunc thurificatur altare, Celebrans et Episcopus, quando adest in Missa per alium celebrata cum pluviali et mitra, et non alii; secundo ante Evangelium, et tunc thurificatur tantummodo liber Evangeliorum, et Episcopus post Evangelium illico, si est paratus pluviali et mitra, et nulli alii, præterquam si adesset Cardinalis Legatus, vel alius Cardinalis, quia tunc post Evangelium non thurificatur Episcopus, sed Legatus, vel Cardinalis; nam Episcopus, præsentente Legato, vel alio Cardinali, non debet assistere Missæ paratus cum pluviali et mitra; tertio post Oblata, et tunc thurificantur Oblata, altare, Celebrans, Episcopus, mox Dignitates, et Canonici, et alii omnes eo ordine, quo infra dicitur, ita ut Episcopus mitratus ter in Missa thurificetur. Quod similiter observandum est de Cardinali Legato, vel alio Cardinali mitrato, qui Missæ assistit: nullus vero neque Legatus, neque Cardinalis, neque Episcopus, si non mitrati, incensatur in Missa, nisi semel, scilicet post Oblata.

14. Imponitur autem et benedicitur thus ab Episcopo, si celebret, regulariter apud sedem suam, vel apud faldistorium, præterquam in principio Missæ et ad Oblata, quia tunc imponit et benedicit thus stans apud altare: si non celebret, sed cum pluviali et mitra, vel saltem cum cappa, assistat Missæ solemniter, semper imponit et benedicit thus apud sedem suam.

15. In Vesperis pro Defunctis nulla prorsus, nec altaris, nec hominum fit thurificatio, sed in Missis Defunctorum, semel tantum post Oblata; et tunc Oblata, altare, Celebrans, et Episcopus tantum, si ipse non celebrat, et nulli alii thurificantur, et fit benedictio thuris, prout in aliis Missis ad Oblata, videlicet, dicendo *Per intercessionem beati Michaëlis etc.* Advertat autem thuriferarius, ut, cum dat thuribulum in manibus vel Presbyteri assistentis, vel Diaconi, qui mox illud ad manus Episcopi, altare thurificaturi, porrigunt, catenularum summitatem in dextera, thuribulum vero in sinistra dicti ministri ponat, ut ipse deinceps minister commode ad manus Episcopi contrario modo porrigat: videlicet, catenulas in sinistra, thuribulum in dextera.

16. Illud observandum est, ut Episcopus, sive Archiepiscopus,

sive etiam Legatus, aut alius S. R. E. Cardinalis, sive paratus sacris indumentis, sive non, numquam sedens, sed stans thurificetur; aliquando tamen cooperto capite, aliquando eo detecto. Nam in principio Missæ, altari thurificato, Episcopus, si est paratus, stans cum mitra, thurificatur, post vero Evangelium sine mitra, post Oblata cum mitra; si vero non est paratus, post Oblata tantum, stans, capite detecto.

17. In Vesperis, si ipse Episcopus paratus celebrat, thurificato altari, capit mitram et revertitur ad sedem, ibique mitram retinens thurificatur. Si vero interest Vesperis non paratus, sed in cappa, thurificato per Celebrantem altari, ipse apud sedem suam stans, detecto capite thurificatur. Nullatenus autem permittat, sive paratus, sive non, sedentem se ab ullo genuflexo thurificari neque in principio Missæ, neque post Oblata, quæ est specialis prærogativa Summi Pontificis.

18. Si sanctissimum Sacramentum super altari expositum sit, semper ab Episcopo vel alio Celebrante genuflexo thurificandum est triplici ductu: quod si ipsum solum Sacramentum sit thurificandum, ut in principio et fine Processionis feria quinta et sexta majoris Hebdomadæ, et in festo ejusdem Ss. Corporis Christi, et cum ponitur Oratio Quadraginta horarum, numquam debet ab Episcopo, neque ab alio thus benedici, sed simpliciter poni in thuribulum, et porrigitur sine osculatione manus Episcopi: similiter, et quando per Cæremoniarium, vel acolythum, aut Subdiaconum in elevatione thurificatur, quo casu ab eodem acolytho, seu a quocumque alio clerico ponitur in thuribulum simpliciter absque benedictione.

19. Sed si thurificandum est altare, super quo positum sit Ss. Sacramentum apertum, ut in Vesperis festivitatis ejusdem Corporis Christi, tunc benedicitur thus, sed thurificatio Sacramenti fit cum genuflexione; et quoties ante illud transit Celebrans, toties genuflectit. Cum in Missa, post thurificationem Oblatorum, Episcopi et Canonicorum, seu Dignitatum ad ejus latus assistentium, fit generalis omnium thurificatio in choro, omnes, præter Episcopum et dictos ejus assistentes, stant.

20. Ipsi autem, quibus thus datur, observare solent, ut alter alterum immediate subsequentem capitis nutu modeste invitet ad thurificationem prius capiendam, sive ecclesiastici, sive sæculares sint: et si is, qui thurificat, sit æqualis dignitatis cum eo qui thu-

rificandus est, aut etiam majoris, invicem capite inclinato, sibi reverentias faciunt ante et post thurificationem: si vero, qui thurificat, minor est, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum, vel nihil versus thurificantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis, qui et ipse thurificando alios post Canonicos, parum, vel nihil versus eos caput inclinat, pro eorum qualitate.

21. Sed Episcopus, vel Legatus, cum thurificatur, nullatenus versus thurificantem caput, nec modicum quidem, inclinet, sed manu dextera super eum signum crucis faciat.

22. Personæ autem, quibus hoc officium thurificandi alios competit, solent esse diversæ pro diversitate celebrantium, et solemnitate, ac personarum, quæ thurificandæ sunt. Nam Episcopus solemniter celebrans Vesperas, thurificato per ipsum altari, thurificatur, stans apud sedem, a primo Presbytero assistente parato, qui postmodum dat thuribulum in manibus Subdiaconi, qui in crastinum cantaturus est Epistolam in Missa, vel alicujus acolythi, vel alias, ut dicitur *in cap. I. lib. II.*, qui thurificat reliquos omnes de choro.

23. In Missa vero, cum Episcopus est apud altare, thurificatur semper a Diacono Evangelii parato: cum vero est apud sedem, videlicet finito Evangelio, thurificatur a prædicto Presbytero assistente, pluviali parato, qui accipit thuribulum de manu acolythi, qui illud tenebat.

24. Sed si celebret apud faldistorium, puta præsentem Legato, vel Metropolitano, thurificatur ab eodem Diacono, qui et alios de choro thurificat: deinde dat thuribulum in manu alicujus acolythi, qui primo ipsum Diaconum, a quo recipit thuribulum, mox alios, si qui in choro supersunt, et reliquum populum thurificat. Diaconus vero tunc revertitur ad officium suum.

25. Quod si adesset Legatus, Rex, aut Princeps magnus, nihilominus eadem personæ ipsos thurificarent, quas diximus Episcopum celebrantem thurificare, et non aliæ, præsertim, quæ in dignitate episcopali sunt constitutæ, quas nullo modo convenit alios, quantumlibet maximos Principes, thurificare.

26. Si autem Episcopus non celebrat, sed interest Vesperis vel Missæ per alium celebratæ, ipse Episcopus semper a primo Presbytero assistente thurificandus est, Canonici vero et alii de choro in Vesperis ab aliquo acolytho, in Missa a Diacono, qui cantat Evan-

gelium, thurificantur, qui et ceteros omnes thurificat. Antequam inchoetur Evangelium, videlicet, lecto per Diaconum titulo Evangelii, ipse ter thurificat librum Evangeliorum; primo in medio, tum a parte dextera libri, mox a sinistra.

27. Ordo autem thurificandi, sive in Vesperis, sive in Missa, erit talis. Primo in Vesperis, thurificato altari, thurificatur Episcopus celebrans, vel alius quicumque Celebrans cum dicitur *Magnificat anima mea etc.* Idem observatur in Missa, tam in principio, quam post Oblata; tum Legatus Cardinalis, si aderit, vel etiam Cardinalis non Legatus; mox Archiepiscopus illius provinciae, si aderit, et post eum Episcopus non celebrans, sed praesens in sacrificio; post quem immediate Presbyter assistens et duo Diaconi assistentes, nisi adsint majores Episcopo; et in casu, quo non fiat Episcopo assistentia.

28. Si forte aderunt Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de Latere, intra fines suae Legationis, aut Visitator Apostolicus Episcopus, thurificantur ante Archiepiscopum et Episcopum: sed si Nuntius Apostolicus non habeat talem facultatem, vel Visitator non sit Episcopus, post Episcopum et Archiepiscopum; et hoc intelligatur quando Nuntius et Visitator sunt in loco eorum jurisdictionis. Si aderunt Episcopus vel Archiepiscopus hospites, thurificandi sunt post proprium Episcopum.

29. Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus, praesente suo Metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis ob reverentiam dignitatis Cardinalitiae; post praedictos thurificantur, si aderunt, Protonotarii de numero participantium; deinde Nuntii Apostolici Praelati non existentes in loco eorum jurisdictionis, sed transeuntes; tum Dignitates et Canonici secundum eorum ordinem; videlicet, primo Dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, mox Subdiaconi, si praebendae sint distinctae; tum, si aderunt, Abbates benedicti: et post eos, si erunt aliqui Protonotarii supernumerarii, nisi essent consanguinei alicujus maximi Principis, qui pro judicio et prudentia Episcopi thurificari poterunt loco convenienti, ante Dignitates et Canonicos. Vicarius vero Episcopi pro consuetudine ecclesiarum: et haec quoad personas ecclesiasticas.

30. Quo vero ad laicos, Princeps magnus Dominus loci non recognoscens superiorem, thurificatur immediate post Episcopum.

Imperator tamen et Reges indistincte ante Episcopum sunt thurificandi. Proreges vero et Gubernatores regnorum ac provinciarum immediate post Episcopum; Magistratus civitatum thurificantur post Dignitates et Canonicos, nisi sint de majoribus et perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos: nisi rursus Canonici sint parati; quia tunc et ipsi thurificantur post Canonicos paratos. Barones et Domicelli sine titulo post Magistratus omnes. Hi omnes ab iis thurificantur, ad quos ex consuetudine id munus pertinet.

31. Si adesset aliqua mulier insignis, ut Regina, vel magna Principissa, utique et ipsi thus dari convenit in loco, ubi daretur ejus viro, si adesset. Demum advertere debet thurificator, ut numerum thurificationum observet pro qualitate rerum et personarum, quæ thurificantur.

32. Nam sanctissimum Sacramentum, Crux altaris, Episcopus, vel Archiepiscopus thurificantur triplici ductu; Dignitates et Canonici duplici ductu; inferiores unico ductu. Si adesset Legatus, vel alii Cardinales, ipsi ter, et Episcopus et Celebrans, bis; Dignitates et Canonici semel, ceteri transeundo. Si vero adsit Dominus loci laicus; vel alius Princeps major, ter, ut Episcopus; Celebrans, Dignitates, et Canonici bis, ceteri semel, ut supra: nisi rursus adessent Legatus, vel alii Cardinales, quo casu duplici ductu thurificantur, sicut Episcopus; Dignitates vero et Canonici tunc unico tantum ductu thurificantur, ut proxime dictum est. Illud igitur observandum est, ut Celebrans semper triplici ductu incensetur, si nullus sit eo major, cui triplex ductus debeatur. Porro Nuntius Apostolicus cum facultate Legati, Visitor Apostolicus Episcopus in loco eorum jurisdictionis triplici ductu incensantur; quemadmodum triplici ductu thurificantur Dominus loci laicus et Princeps maximus, qui thurificari debent ab iis, qui ex consuetudine hæc munia explere solent.

CAPUT XXIV.

Ordo dandi Pacis osculum. Si Episcopus celebret solemniter, dat osculum Presbytero assistenti, qui illud per chorum ordine distribuit. Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolæ Pacem accipiunt ab Episcopo celebrante, cum ab eo communicantur. Presbyter assistens, osculum ferens, nulli reverentiam facit, antequam ei Pacem dederit. Ordo servandus in Pace distribuenda. Si Episcopus assistat, Presbyter assistens capit Pacem, quam defert Episcopo, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat. Quid servandum, si Prælati celebret, Episcopo assistente. In ecclesiis collegiatis, Pax a Subdiacono per chorum distribuitur.

Pacis osculum alio modo, ac per diversos ministros præberi consuevit, cum scilicet Episcopus ipse celebrat solemniter Missam; aliter cum Missæ per alium Prælatum, vel non Prælatum cantatæ interest; aliter cum, ipso Episcopo absente, vel in collegiatis ecclesiis Missa solemniter celebratur; et demum aliter in Missa p̄fana.

2. Episcopo igitur celebrante, postquam cum Presbytero assistente a sinistro, ac Diacono a dextero latere, dixerit *Agnus Dei etc.* ipse Presbyter assistens accedit ad ejus dexteram, et genuflectit ante sanctissimum Sacramentum; ac surgens, osculatur altare simul, et eodem tempore cum ipso Celebrante; mox appropinquans sinistram genam sinistræ Celebrantis, accipit ab eodem Celebrante, dicente *Pax tecum*, osculum Pacis, cui ipse respondet *Et cum spiritu tuo*, factaque ibi iterum genuflexione, discedit, comitante Cæremoniario, osculumque prædictum per chorum ordine distribuit, incipiendo a dignioribus.

3. Ordo autem idem erit, prout in cap. XXIII. lib. I. §. XXVII. proxime præcedenti de thuris ministratio dictum fuit, hoc excepto, quod ipse assistens non dat osculum Diacono Evangelii et Subdiacono Epistolæ, nec duobus Diaconis assistentibus: isti enim capiunt Pacem ab eodem Celebrante statim, postquam illam dederit Presbytero assistenti, genuflectentes prius et post, ante sanctissimum Sacramentum, non tamen osculantes altare. Illi vero, hoc est Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolæ, capiunt Pacem ab eodem Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt communionem.

4. Sed si fuerint sacerdotes, et jam celebraverint, aut velint hac die celebrare, tunc postquam Presbyter assistens cum pluviali Pa-

cem ab Episcopo celebrante acceperit, ut eam per chorum distribuat, ab eodem Celebrante Pacem etiam accipiunt cum Diaconis assistentibus Diaconus Evangelii et Subdiaconus Epistolæ.

5. Observabit autem ipse Presbyter assistens, osculum deferens, ut nulli quantumvis supremo Principi, etiamsi esset Imperator, vel Rex, ullam reverentiam faciat antequam ei pacem det, sed post datam Pacem, cui etiam ipsi, qui acceperunt Pacem ab eo, debita reverentia correspondent, cum sit ex primis Dignitatibus, vel Canonicis Ecclesiæ. Legatus tamen aut Princeps supremus parum correspondent in reverentia.

6. Regulare est, ut Pax detur primo cujusque ordinis, videlicet, primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Canonicis Diaconis, et primo ex Canonicis Subdiaconis, ubi distinctæ sunt præbendæ, vel, ubi præbendæ non sunt distinctæ, primo ab utroque latere stanti, qui successive Pacem dat alteri subsequenti, et ille dat alteri: et si aderunt laici, ut Magistratus, et Barones, ac nobiles, detur illis Pax cum instrumento, quod instrumentum osculetur prius Presbyter assistens.

7. Postquam vero prædictus assistens Pacem Dignitatibus, et Canonicis, ac Magistratui dederit, dabit eam alicui Acolytho, vel Cæremoniario, qui ceteris de choro distribuit. Nulli autem ecclesiastico osculum hujusmodi dandum est, nisi stanti.

8. Quando Episcopus ipse non celebrat, sed Missæ per alium celebratæ præsens fuerit, idem Presbyter assistens accipiet Pacem a Celebrante, acceptamque Episcopo deferet, qui eam duobus Diaconis assistentibus dat.

9. Advertendum tamen est, si is, qui celebrat, sit Prælatus, ita ut habeat Capellanum assistentem cum pluviali in Missa, tunc ipse Capellanus assistens, postquam Episcopus Pacem dederit duobus Diaconis assistentibus, accedit in Choro ad locum dicti Presbyteri assistentis, qui dedit Pacem Episcopo; et ab eo accipit Pacem, quam ad alios de Choro ordine superius dicto defert.

10. Quod si is, qui celebrat, non sit Prælatus, nec habeat Capellanum assistentem cum pluviali, eodem modo Presbyter Episcopo assistens accipit Pacem a Celebrante, eamque ad Episcopum defert, qui dat illam Diaconis assistentibus, ut supra: mox stans in loco suo inter Canonicos, illam dabit Subdiacono, qui cantavit Epistolam in Missa, qui ad alios defert, nisi adesset major Episcopo,

quia tali casu semper illi dabitur Pax ab eodem Presbytero assistente, qui Pacem dat Episcopo, ut *in cap. XXIII. lib. I. §. XXII. de thurificatione* dictum est.

11. Absente Episcopo, ut in ecclesiis collegiatis, servabitur ordo ut in rubricis Missalis; videlicet, ut Subdiaconus, accepta Pace a Diacono, illam per chorum distribuat; sed quicumque sit, qui Pacis osculum defert, sive Presbyter assistens, sive Capellanus, sive Subdiaconus, eadem observabit, quæ de Presbytero assistente supra dicta sunt, quoad reverentias et formam dandi osculum.

12. In Missis planis, quæ coram dicuntur, adhiberi solet instrumentum Pacis, ut *in cap. XXX. lib. I. dicitur*. Itaque ad ordinem distribuendæ Pacis, ac ejus ministros quod attinet, servetur laudabilis locorum consuetudo.

CAPUT XXV.

Quo ritu danda sit benedictio solemnitas ab Episcopo. In Missis datur, finito sermone, et confessione per Diaconum cantata, ac Indulgentia publicata. Datur ab Episcopo stante in medio altaris. Ritus dandi benedictionem in fine Missæ ac Vesperarum. Indulgentia, quæ ab Archiepiscopo et Episcopo pro benedictione conceditur, est quadraginta dierum; quæ a Cardinali vero, centum dierum.

Duobus modis dantur benedictiones ab Episcopis in Missis: uno nempe, quando infra Missam sermo habetur; tunc enim, finito sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum, vel in supremo gradu altaris, conversus ad Episcopum, capite inclinato, cantat Confessionem in tono, qui notatur in fine hujus Cæremonialis, et dum dicit *Tibi Pater*, et *Te Pater*, si fuerit Canonicus, se inclinat profundius; si vero non fuerit Canonicus genuflectit. Deinde, finita Confessione, sermocinator, qui in pulpito dum cantatur Confessio manet genuflexus, surgens, publicabit Indulgentiam in forma sequenti.

Reverendissimus in Christo Pater et Dóminus, Dóminus N. Dei et Apostólicæ Sedis grátia hujus sanctæ N. ecclésiæ Episcopus dat et concédit ómnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgéntia in forma Ecclésiæ consuéta; rogáte Deum pro felíci statu Sanctíssimi Dómini Nostri N. Divína Providéntia Papæ N., Domínationis suæ Reverendíssimæ, et sanctæ Matris Ecclésiæ.

2. Publicata Indulgentia, quæ, Episcopo prædicante, ab assistente Presbytero stante ad dexteram Episcopi annuntiatur, Episcopus deposita mitra, stans leget ex libro, per ministrum de illo servientem, supra caput sustentato, si non celebret solemniter, si vero solemniter celebret, per Presbyterum assistentem, in tono Orationis, conversus ad populum, quæ sequuntur.

Præcibus et méritis beátæ Mariæ semper Virginis, beáti Michaélis Archángeli, beáti Joánnis Baptistæ, sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et ómnium Sanctórum, misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérrnam
 R. *Amen.*

3. Deinde accepta mitra, et elevans oculos et manus, quas ante faciem jungit, sinistra baculum accipit, et benedicit populo, dicens: *Et benedíctio Dei omnípoténtis Pa ❖ tris, et Fi ❖ lii, et Spíritus ❖ Sancti descéndat super vos, et máneat semper.* R. *Amen.* Cum autem hæc verba profert, signat versus latus suum sinistrum, videlicet in verbo *Patris*; deinde, cum dicit *et Filii*, directe ante faciem suam; et demum dum dicit *et Spíritus Sancti* signat versus latus suum dexterum: cum autem dicit *super vos etc.* dimisso baculo, manus junctas ante pectus applicat.

4. Si vero benedicens fuerit Archiepiscopus, vel alius, qui utitur cruce, statim publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum crucem, quam genuflexus tenebit, deinde Archiepiscopus, vel ille, qui utitur cruce, deposita mitra, cruci caput inclinabit, et dabit benedictionem, sicut dictum est supra.

5. Alio modo datur benedictio in fine Missæ, dicto scilicet, *Pláceat tibi sancta Trínitas etc.* tunc enim Episcopus, qui non utitur cruce, accepta mitra, stans in medio altaris, pollice dexteræ manus format sibi signum crucis in pectore, cantans: *Sit nomen Dómini benedíctum*, interim sinistram super altari retinens, et dum a choro respondetur: *Ex hoc nunc, et usque in sæculum*, etiam ipsam manum dexteram super altari tenet; deinde dicens *Adjutórium nostrum in nómine Dómini*, eadem dextera manu signat se signo crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero in dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit *Adjutórium* in fronte, *nostrum* infra pectus, *in nómine* in sinistro humero, *Dómini* in dextero, et iterum ipsam manum dexteram super altare reponit, donec a choro respondeatur *Qui fecit cælum et terram*. Deinde dicens *Benedícat vos*

omnipotens Deus, elevat ad cælum simul oculos et manus, quas ante faciem jungit, et accipiens manu sinistra baculum, dum dicit *Pater*, vertit se ad latus Epistolæ, et ibi signat populum; et dicens *et Filius*, vertit se directe ad populum in medio Ecclesiæ existentem, signans iterum; dicens vero *et Spiritus Sanctus*, vertit se totum ad latus Evangelii, et ibi tertio signat populum, perficiendo circulum.

6. Si vero erit Archiepiscopus, vel alius crucem ante se habens, versus ad illam sine mitra, dabit integram benedictionem, incipiens ab iis: *Sit nomen Dómini benedictum*. Ubi vero populus non ante ipsius altaris faciem, sed post illam stat, Episcopus, sive Archiepiscopus, non vertit se, sed stans ante medium, signat primo a latere Evangelii, deinde in medio, demum a latere Epistolæ.

7. Simili modo in fine Vesperarum ac Matutini, seu Laudum, Episcopus, sive Archiepiscopus benedicit, cum ipse solemniter facit officium. Hanc eandem benedictionis formulam servabit Episcopus, quando danda erit in fine alicujus processions; quæ etiam in usu est in primo ingressu Episcopi vel Archiepiscopi ad civitates et oppida suæ diœcesis vel provinciæ, postquam ad ecclesias pervenit, ut diximus in *cap. II. §. V. et VIII. hujus lib. I.* Quod si Episcopus assistat cum cappa, dabit benedictionem, tecto capite cum caputio cappæ, vel cuculli, vel etiam cum bireto.

8. Reliquum est, ut de publicatione Indulgentiarum pauca subjiciantur. Consuevit enim, cum datur benedictio sollemnis per Episcopum, plerumque, non tamen in Vesperis, concedi etiam Indulgentias pro concedentis facultate. Si enim est Episcopus, vel Archiepiscopus, dierum quadraginta, de jure communi; si vero Episcopus esset S. R. E. Cardinalis, centum: quæ quidem Indulgentia, cum datur benedictio infra Missam, post sermonem, et Confessionem, ab ipso sermocinante publicatur, statim finita Confessione, antequam detur benedictio; quo casu non publicatur amplius post benedictionem in fine Missæ. Cum vero non habetur sermo, in fine Missæ pontificalis, statim post solemnem benedictionem publicatur per Presbyterum assistentem, si Episcopus celebret, vel eo non celebrante, per ipsummet Prælatum, vel Canonicum celebrantem, præsentem Episcopo.

9. In primo vero ingressu Episcopi vel Archiepiscopi ad civitates vel oppida suæ diœcesis aut provinciæ, publicatur per unum

ex illorum ministris, sive Beneficiatis ecclesiæ, alta voce, dicendo: *Reverendissimus in Christo Pater et Dominus N. etc.* ut supra §. I. Si vero Episcopus esset Cardinalis, dicitur in hunc modum: *Eminentissimus et Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N. Tituli sancti N. sanctæ Romænæ Ecclesiæ Præbyter Cardinalis N. et Episcopus N. dat et concédit omnibus hic præsentibus centum dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta etc.*

10. Ad quem autem spectet has benedictiones dare, cum adest simul cum Episcopo Legatus de latere, aut etiam Cardinalis non Legatus, aut Metropolitanus, aut Nuntius Apostolicus, vel alii Prælati officio et auctoritate præstantes, jam supra in cap. IV. §. IV, lib. I. expositum fuit.

CAPUT XXVI.

Si Dignitates, et Canonici pro gradu, quem obtinent in ecclesiis, legitime impediti fuerint, alii proximiores de Capitulo in divinis officiis vices subeant. Qui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, seu secundum ecclesiæ consuetudinem, mulcentur. Presbyter Canonicus proximior, Presbyteri assistentis locum suppleat. Si unus, aut duo ex Diaconis assistentibus absint, subsequentes Diaconi et Subdiaconi suppleant, et ex necessitate ultimus Presbyter, dalmatica diaconali indutus, ad sinistram Episcopi: Si aliquis ex Dignitatibus Diaconi assistentis vices gerat, induat quidem dalmaticam, sed maneat ad dexteram Episcopi. Ubi non sunt ordines distincti Canoncorum, duo Canonici sint loco assistentium Diaconorum. Eadem regula, quoad supplendas vices, servetur inter inferiores de Capitulo.

Plerumque evenit ut ex his, qui in aliquo peculiari ministerio, dum Officia divina peraguntur, servire solent, sive illi Dignitates, sive Canonici, seu etiam inferioris ordinis, sint legitimo impedimento detenti; ut quia absentes, vel infirmi, vel senio languentes, seu aliis justis de causis occupati, munus eis competens obire nequeant. Quo casu, ne debitum ministerium deseratur, dum alter alterius onus aut curam subire negligit vel recusat, deficientium vices ab aliis suppleri debent; et nihilominus, si qui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem ecclesiæ, in divisione distributionum mulctandi erunt, et quidem regulariter majores minorum vices non suppleant, nisi ex necessitate; sed contra,

inferiores superiorum vices subeunt, præterquam in iis, quæ sunt ordinis peculiaria, velut si in aliqua ecclesia gradus et ordines distincti sint; nempe Dignitates, Canonici Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi, tum Beneficiati et Clerici.

2. Deficiente vero prima Dignitate, seu primo Presbytero Canonico, in officio Presbyteri assistentis supplebit alter ei proximus, sive sit Dignitas, sive Presbyter Canonicus; quo etiam deficiente, subintrant alii Presbyteri proximiores; sic etiam ex duobus Canonicis Diaconis assistentibus, si alter vel ambo deficiant, alii subsequentes Diaconi supplebunt; quod si unus tantum Diaconus vel Subdiaconus adesset, tunc ex necessitate ultimus Presbyter, licet major, supplet loco Diaconi vel Subdiaconi deficientis; et si Canonici essent sacris vestibus parati, ut quia Episcopus celebraret, ipse ultimus Presbyter induere deberet dalmaticam more Diaconi, cujus loco servit, sed eo casu Diaconus, qui aderit, sedebit a dextris Episcopi, cui imponet et deponet mitram, nempe cum proprium suum ministerium exerceat; Presbyter autem Canonicum a sinistris loco secundi Diaconi assistentis adjuvabit.

3. Quod si omnes prorsus Diaconi et Subdiaconi deficerent, duo ultimi Presbyteri eorum locum implerent. Diaconi autem nullatenus loco Dignitatum Presbyteralium aut Presbyterorum Canonicorum suppleant.

4. Si nullus Presbyter Canonicus adesset, præter Dignitates, tunc aliquis ex ipsis Dignitatibus, dalmatica similiter more Diaconi indutus, suppleret locum Diaconi deficientis: sed tali casu ipse Dignitatem obtinens maneret ad dexteram Episcopi; Diaconus vero ad sinistram; sed ipse Diaconus a sinistris manens, serviret in ministerio imponendi et deponendi mitram Episcopo.

5. Hæc autem, quæ diximus, procedunt, ubi ordines et præbendæ sunt distinctæ; ubi vero ordines non sunt distincti, duo Canonici, immediate sedentes post Canonicum, qui servit in officio Presbyteri assistentis, erunt apud Episcopum loco Diaconorum assistentium.

6. Eadem ratione et regula etiam alii inferiores de Capitulo, ut Beneficiati, et Clerici, alterius sibi immediate præcedentis vices, cum opus erit, supplebunt.

CAPUT XXVII.

Tres sunt orationum toni: festivus vel solemnus, simplex ferialis, et ferialis. Solemni utendum in Festis duplicibus et semiduplicibus. Simplici feriali in Festis simplicibus, diebus ferialibus, et in Missis pro Defunctis, ac etiam in diebus solemnibus, extra Matutinum, Missas, et Vesperas. Feriali post Antiphonam B. M. V., et quando Orationes terminantur clausula minori. Regulæ canendi ex libris choralibus sumendæ.

Toni Orationum sunt tres, festivus, simplex ferialis, et ferialis.
1. De Tono festivo.

Orationes dicuntur in Tono festivo, quando Officium est duplex, vel semiduplex, vel de Dominica in Matutinis, Missis et Vesperis. His exceptis semper dicuntur in Tono feriali.

In Tono festivo duæ fieri solent variationes. Prima est *fa, mi, re, fa*, et dicitur punctum principale, secunda est *fa, mi*, et dicitur semipunctum.


Punctum principale fit concluso sensu illius clausulæ, quæ primam Orationis partem terminat, vocem retinendo, et aliquantulum respirando, servato tamen cantu superioris regulæ. Semipunctum fit eodem modo in sequenti clausula, posito cantu *fa, mi*, et hoc intelligitur, quando Oratio est ita longa, ut possit recipere duas variationes. Sin autem erit brevior, tunc fiet tantum punctum principale. Numquam primo fit semipunctum, sed tandiu prosequitur, donec invento primæ clausulæ verbo cantetur punctum principale, postea semipunctum. Sed quando Oratio est brevissima, ut exempli gratia sancti Callisti Oratio, tunc omittetur semipunctum. Semipuncto peracto, quamvis diversæ sequentur clausulæ, amplius non fit punctum vel semipunctum. Præter hæc puncta, quoties occurrunt virgulæ, nota *fa* est parum sustentanda in penultima, aut, quando hæc est brevis, in antepenultima.

Quando ventum erit ad finem Orationis nota *fa*, in penultima dictione paulo amplius quam in virgulis, sustentari debet, perinde ac semiduplicaretur vocalis, in qua prædicta nota sustentatur.

Conclusiones Toni festivi quando sunt *Per Dóminum* et *Per eúmdem Dóminum*, semipunctum fit ad *tuum*, et punctum princi-

pale ad *Sancti Deus*. Quando sunt *Qui tecum*, et *Qui vivis*, fit tantum punctum principale ad *Sancti Deus*, sicut habetur in sequenti exemplo.


Semper et ubique sic cantatur *Dóminus vobiscum*.




Dó-mi-nus vo- bís-cum. R̄. Et cum spí- ri- tu- tu- o. O- ré- mus.




De- us, qui ho- di- érnám di- em A- posto- ló- rum tu- ó- rum Pe- tri




et Pau- li marty- ri- o conse- crá- sti: da Ecclé- si- æ tu- æ e- ó-




rum in ómni- bus sequi præ- céptum; per quos re- li- gi- ó- nis sump-




sit ex- ór- di- um. Per Dó- mi- num nostrum Je- sum Chri- stum,



Fí- li- um tu- um: Qui te- cum vi- vit et regnat in u- ni- tá- te



Spí- ri- tus Sancti De- us, per ómni- a sæ- cu- la sæ- cu- ló- rum.



R̄. A- men.


2. De Tono simplici feriali.

Quo utimur in Festis simplicibus, diebus ferialibus, et in Missis Defunctorum.


Oratio Toni ferialis dicitur in voce æquali. In loco puncti principalis et semipuncti fit tantum pausa et respiratio; fiunt virgulæ et finales ut in Tono festivo.

Idem observatur in conclusionibus *Per Dóminum. Per eúndem. Qui vivis, et Qui tecum*, quemadmodum vides in exemplo infra-scripto.


Hoc Tono utimur semper, quando Orationes dicendæ in Tono feriali terminantur cum *clausula majori*, ut sunt: *Per Dóminum, Per eúndem Dóminum, et Qui tecum.*




Dó-mi-nus vo-biscum. Et cum spí-ri-tu tu-o. O-ré-mus.




Præsta, quæ-sumus omni-po-tens De-us: ut qui be-á-ti Va-len-




ti-ni Márty-ris tu-i na-ta-lí-ti-a có-li-mus, interces-si-ó-ne




e-jus in tu-i nó-mi-nis amó-re ro-bo-rémur. Per Dó-mi-num



nostrum Je-sum Chri-stum Fi-li-um tu-um: Qui te-cum vi-vit



et regnat in u-ni-tá-te Spí-ri-tus Sancti De-us. Per ómni-a




sæ-cu-la sæ-cu-ló-rum.

Ante Orationem sæpius dicuntur sequentia :

Sacerdos,


Diaconus

Subdiaconus



O-rémus. Fle-ctá-mus gé-nu- a. Le-vá- te.

Ante Orationem super populum Diaconus dicit :



Hu-mi-li- á- te cá- pi- ta vestra De- o.


3. De Tono feriali.

Sequens Tonus ferialis inservit pro Orationibus positus in fine Psalterii, post Antiphonas Beatæ Mariæ, pro Oratione *Dirigere* ad Primam, et pro Orationibus in Officio Defunctorum, quando habent *clausulam minorem*. In omnibus convenit cum Tono superiori, præterquam, quod in fine penultima sillaba semper declinatur de *fa* ad *re*, ut habetur in exemplo.


Inservit etiam pro Orationibus Litaniarum, Aspersionis aquæ benedictæ in Dominicis, et si quæ sunt aliæ hujusmodi, ut est Oratio post pedum ablutionem, et Orationes omnes in Benedictionibus candelarum, cinerum et olivarum, tam ante quam post Benedictiones, quando terminantur cum *clausula minori*. Oratio *Libera nos* et omnes quæ ante Missam Sabbati Sancti habentur (et pro benedictione fontium) cantantur sub *Tono simplici feriali*, quæ vero notantur pro Benedictione ignis et incensi leguntur.

Notandum est quoque, quod terminatio finalis de *fa* ad *re* fit tantum in ultima Oratione. Eadem terminatio fit in omnibus conclusionibus prædictarum Orationum, quæ sunt: *Per Christum Dóminum nostrum*, *Per eúndem Christum Dóminum nostrum*, et *Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum*.


Exemplum Toni ferialis.




Concé-de mi- sé- ri- cors De- us fra- gi- li- tá- ti nostræ præ- sí-




di- um: ut qui sanctæ De- i Ge- ni- trí- cis memó- ri- am á- gimus,



in-terces-si-ó-nis e-jus auxi-li-o a nostris i-ni-qui-tá-ti-bus



re-sur-gá-mus. Per e-úndem Christum Dó-mi-num nostrum.



R. Amen.

Regulare autem est, ut in voce gravi et competenti, interposita aliqua mora, in fine cujuslibet clausulæ, et præsertim in clausula finali, cum decore et gravitate recitentur Orationes. De tonis vero Evangeliorum et Epistolarum, Capitulorum, Antiphonarum, et aliorum multorum, quæ frequenter in Ecclesiis recitantur, nulla in hoc libro fit mentio, cum libri impressi reperiantur, qui de his abunde loquuntur, ut in Pontificali Romano, Rituali Romano, Directorio Chori et similibus, ex quibus singuli instrui possunt. Nam hic ea tantum apposuimus, quæ ad personam Celebrantis in proferendis Orationibus spectant, ob varium usum illas recitandi.

CAPUT XXVIII.

Organa in Ecclesia adhibentur in omnibus Dominicis et Festis per annum. Pulsari non debent in Adventu et a Quadragesima ad Pascha, exceptis Dominica tertia Adventus et quarta Quadragesimæ, ac Festis quibusdam per ea tempora currentibus. Pulsantur in ingressu Episcopi ad Ecclesiam, quoties ille solemniter celebrat. Item in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, et alterius Episcopi, ubi solemniter ad Ecclesiam accedunt, donec orant. Quando et quomodo tangenda sint in Matutinis solemnibus, in Vesperis, et in versibus Hymnorum, et in Missa. Num adhibenda sint in horis Canonicis. Sonus organi et cantus modulatio, ne levitatem aut lasciviam præferant. Organum non pulsatur in officiis Defunctorum: an et quomodo pulsetur in Missis Defunctorum.

In omnibus Dominicis, et omnibus festis per annum currentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, potest in ecclesia organum et musicorum cantus adhiberi.

2. Inter eas non connumerantur Dominicæ Adventus et Quadragesimæ, excepta Dominica tertia Adventus, quæ dicitur *Gau-*

déte in Dómino, et quarta Quadragesimæ, quæ dicitur *Lætáre Jerúsalem*, sed in Missa tantum; item exceptis festis et feriis infra Adventum aut Quadragesimam occurrentibus, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur: ut die Sanctorum Matthiæ, Thomæ Aquinatis, Gregorii Magni, Josephi, Annuntiationis, et similibus infra Adventum et Quadragesimam occurrentibus. Item feria quinta in Cœna Domini ad *Glória in excélsis Deo* et Sabbato Sancto ad *Glória in excélsis Deo*, et quodcumque occurreret celebrare solemniter, et cum lætitia, pro aliqua re gravi.

3. Quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus, aut Missæ solemniter per alium celebrandæ in festis solemnioribus interfuturus, ecclesiam ingreditur; aut, re divina peracta, discedit, convenit pulsari organum.

4. Idem fit in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, aut alterius Episcopi, quem Episcopus diœcesanus honorare voluerit, donec prædicti oraverint, et res divina sit inchoanda, et in eorum egressu.

5. In Matutinis, quæ solemniter celebrantur in festis majoribus, possunt pulsari organa, prout et in Vesperis, a principio ipsorum.

6. Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus versus Canticorum et Hymnorum, et pariter versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est Versiculus *Te ergo quæsumus etc.* et Versiculus *Tantum ergo Sacramentum etc.* quando ipsum Sacramentum est super altari, et similes, cantentur a choro in tono intelligibili, non autem suppleantur ab organo: sic etiam Versiculus *Glória Patri etc.* etiamsi Versiculus immediate præcedens fuerit a choro pariter decantatus; idem servatur in ultimis versibus Hymnorum. Sed advertendum erit, ut, quodcumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis Hymnorum aut Canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ob sonitum organi non cantatur. Et laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret.

7. In aliis autem horis canonicis, quæ in choro recitantur, non est consuetum interponere organum. Sed si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter horas canonicas, aut aliquas earum, ut est hora Tertiæ; præsertim quando cantatur dum Epi-

scopus solemniter celebraturus capit sacra paramenta, poterit talis consuetudo servari.

8. In Vesperis solemnibus organum pulsari solet in fine cuiuslibet Psalmi; et alternatim in Versiculis Hymni et Cantici *Magnificat etc.* servatis tamen regulis supradictis.

9. In Missa solemnī pulsatur alternatim, cum dicitur *Kýrie eléison* et *Glória in excélsis etc.* in principio Missæ; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad *Sanctus etc.* alternatim, ac deinceps usque ad *Pater noster*; sed ad elevationem Sanctissimi Sacramenti pulsatur organum graviori et dulciori sono: et post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari; item ad *Agnus Dei etc.* alternatim ac deinceps usque ad Postcommunionem ac in fine Missæ.

10. Sed cum dicitur Symbolum in Missa non est alternandum cum organo, sed illud integrum per chorum cantu intelligibili proferatur.

11. Cavendum autem est, ne sonus organi sit lascivus aut impurus, neve cum eo proferantur cantus, qui ad officium, quod agitur, non spectent, nedum profani, aut ludicri; nec alia instrumenta musicalia addantur, nisi de consensu Episcopi.

12. Idem quoque cantores et musici observent, ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis aut lasciviæ præseferat, ac potius audientium animos a rei divinæ contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis.

13. In officiis Defunctorum organa non pulsantur: in Missis autem, si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus; quod etiam tempore Adventus et Quadragesimæ in ferialibus diebus convenit adhiberi.

CAPUT XXIX.

Episcopus Missam privatam celebraturus, ex ipso altari sumit paramenta. Quæ et ubi præparanda a Capellanis pro ipsius Missæ celebratione. Utatur paramentis coloris tempori congruentis. Munia Capellanorum in eadem Missa. Pacis osculum cum instrumento, per primum ex Capellanis deferatur Cardinali, Prælato, aut Principi, hujusmodi Missam audienti. Liber Evangelii, quo Episcopus in celebratione Missæ utitur, nemini osculandus deferatur, sed alius Evangelii liber. Quoties Episcopus in hac Missa lavet manus. Paramenta deponenda ante altare.

Cum Episcopus celebrabit Missam, convenit, ut paramenta Missæ non de Sacristia, sed ex ipso altari, in quo celebrabit, ordine disposita accipiat, postquam aliquo ejus familiari ministrante, laverit manus.

2. Calix igitur, Missale, et alia necessaria prout in rubricis Missalis Romani et Canone pontificali, prius per aliquem ejus Capellanum, partim super ipso altari, partim super aliqua mensula præparabuntur. Ideo valde conveniens esset, ut duos saltem Capellanos, cottis mundis indutos, apud se ministrantes haberet, qui ea omnia disponere sciant et possint.

3. Paramentis in Missa utetur coloris congruentis tempori et festis, illis tantum, quæ in rubricis Missalis pro Prælatis expressa sunt, et non aliis indumentis pontificalibus, præter crucem pectoralem et annulum.

4. Altare quoque, in quo celebraturus est, sit mundis tobaleis et pallio condecanti ornatum, pro qualitate temporum et festorum. Nam in festis solemnibus decet, in eo apponi quatuor candelabra cum candelis accensis, et in eorum medio erit crux argentea, vel ex alia materia: in aliis festis non ita solemnioribus, et feriis, sufficiunt duo candelabra.

5. Præfati duo Capellani servient ei in Missa, in respondendo, in transferendo librum ab uno latere altaris ad aliud, cooperiendo et discooperiendo calicem, cum opus fuerit, in porrigendo mantili, cum lavat manus, in ministrando ampullas, et in ceteris omnibus faciendis usque ad finem Missæ necessariis.

6. Si erunt tres Capellani, poterunt duo ex his, dum elevatur Ss. Sacramentum, post Episcopum celebrantem, genuflexi a lateribus sustinere duos cereos majores accensos, tertius vero Episcopo

assistere; et cum opus erit, tintinnabulum tangere; videlicet, ter dum elevatur Hostia, et toties dum elevatur Sanguis, et non ultra.

7. Si vero non adsint tres Capellani, poterunt ad cereos supplere duo scutiferi aut alii familiares, arbitrio Episcopi, decenter vestiti; sed, et si copia non esset eorum, qui sustinerent dictos cereos, poterunt iidem positi super duobus candelabris magnis accendi, dum elevatur Corpus et Sanguis Domini, et post Communionem extingui.

8. Si forte intersit aliquis Prælati, Cardinalis, aut Princeps hujusmodi Missæ, primus ex dictis Capellanis, postquam Episcopus celebrans dixerit *Agnus Dei etc.*, accepto instrumento Pacis argenteo, cum velo appenso, genuflexus a dextero latere Episcopo offeret osculandum, cui Episcopus dicit *Pax tecum*, et ille respondet *Et cum spiritu tuo*, deinde idem instrumentum cum Pace portat osculandum Prælato uni, vel pluribus, aut Principibus præsentibus, dicens unicuique *Pax tecum*, qui respondent *Et cum spiritu tuo*. Sed advertat, ut nullatenus genuflectat, nec se inclinet, nec ullum reverentiæ signum faciat alicui ex dictis Prælati, aut Principibus, antequam dictam imaginem eis porrexerit osculandam, sed tantum post illam osculatam, quia ante non habetur consideratio ipsius ministri deferentis, sed Pacis, quæ a Sacrificio altaris ad illum defertur; post vero datam Pacem, convenit, ministrum, pro qualitate Prælati, aut Principis, reverentiam facere genuflexum vel inclinatum.

9. Liber Evangelii, celebrante Episcopo, nulli, etiam magno Principi, aut Prælato, Missæ præsentis, datur osculandus post lectum Evangelium; sed si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus, porrigendus esset, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus, sed alius liber consimilis illi porrigatur.

10. Episcopus manus bis lavat in hujusmodi Missa; videlicet, post Offertorium et post Communionem; et semper in lotionem familiaris aliquis ministrat aquam et pelvim, Capellani vero mantile.

11. In fine Missæ Episcopus celebrans dabit benedictionem, more episcopali dicens: *Sit nomen Dómini benedictum, etc.* sed non utitur in ea baculo, nec mitra, nec cruce, si sit Archiepiscopus. Cetera omnia Episcopus celebrans servat, prout alii sacerdotes observare consueverunt, nempe juxta rubricas Missalis.

CAPUT XXX.

Quo ritu Episcopus in locis suæ jurisdictionis Missam audiat. Liber Evangeliorum, finito Evangelio, ei osculandus deferitur. Si adsint cum eo Prælati exteri, aliique eo majores, liber primo osculandus deferitur majori, vel digniori eorum. Si plures æquales fuerint, nulli deferatur. Qui ordo servandus in Pace danda. Extra propriæ jurisdictionis loca rubricæ Missalis ritus tantum adhibendus.

Episcopus præsens Missæ per alium celebratæ, juxta ea, quæ præscribuntur in rubricis Missalis de Missa, quæ coram Episcopo celebratur, genuflectit super genuflexorio, sibi parato ante medium altaris, vel e regione in cornu Epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat; et sic genuflexus audit totam Missam, nec surgit, nisi cum dicitur Evangelium et deferitur ei liber Evangeliorum deosculandus per Capellanum, cotta indutum, qui Missæ assistit.

2. Et pariter post *Agnus Dei etc.* ab eodem offertur ei Pacis instrumentum, quod Episcopus osculatur: semper tamen Capellanus, sive Evangelium, sive Pacem deferens observet, ne ullam prius reverentiam faciat Episcopum versus, aut alios, quam librum aut instrumentum Pacis osculandum præbuerit.

3. Et si forte simul cum Episcopo adessent alii Prælati exteri, seu etiam ipso majores, ut Archiepiscopus, aut Cardinales, vel alii, de quibus *in cap. XXIII. §. XXVIII. et XXIX.* dictum fuit, liber Evangelii dabitur osculandus semper majori, seu digniori omnium; et, si essent plures æquales, nulli ipsorum; nec ipse Celebrans deosculatur. Pax vero primo digniori, deinde aliis juxta ordinem et regulam *in præcedenti cap. XXIV. lib. I. §. III.* traditam. Ad Offeritorium Episcopus non benedicit aquam, nec in fine dabit benedictionem, sed Celebrans, qui antequam in fine Missæ benedicat, faciet Episcopo profundam reverentiam.

4. Et hæc intelligantur, existente Episcopo in sua Diœcesi, vel Archiepiscopo, aut Legato in sua Provincia, alias servabitur ordo rubricarum Missalis.

CAPUT XXXI.

Qui ritus et cæremoniæ adhibeantur pro celebratione Synodi Provincialis vel Diœcesanæ. Dies futuræ Synodi denuntiandus intra Missarum solemnias in festo Epiphaniæ. Per duos, vel saltem unum mensem ante inchoationem, schedula indicationis affigatur valvis Ecclesiæ Metropolitanæ et Cathedralis. Dies Synodi denuntietur etiam per tres proximiores Dominicas in ipsa Metropolitana a Concionatore, et in singulis Parochiis a Parochis, qui populum ad orationes, jejunia, perceptionem sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, aliaque pia opera hortentur. Modus vivendi eorum, qui Concilio interfuturi sunt. Ecclesia ornanda solemniter et festivo ritu. Sedilia in Concilio Provinciali, quomodo disponenda. Sedes Metropolitanæ, ubi collocanda. Quando item assideant, qui Synodo Diœcesanæ intersunt. Campanæ omnes civitatis ante diem Synodi, et ipsa die sequenti, quando et quomodo pulsandæ. Quæ paramenta sumenda ab iis, qui interesse debent, tam Concilio Provinciali, quam Diœcesano. Cujus coloris esse debeant. Quo ritu ad Synodum procedatur. Missa ab Archiepiscopo et Episcopo cantanda. Ordo sedendi et proferendi vota. Laudabile est, ut singulis quintis feriis, tempore Synodi, Missa de Spiritu Sancto cantetur. Qui ministri in Concilio deputandi. Quo ritu Concilium absolvatur.

In Synodo Provinciali, quæ a Patriarcho, Primate, vel Metropolitanò, ac etiam in Synodo Diœcesana, quæ a proprio cujusque Diœcesis Episcopo congregatur, nonnulli ritus et cæremoniæ sunt observandæ, ultra illas quæ in Pontificali Romano sub rubrica de ordine ad Concilium provinciale, seu Synodum celebrandam, explicantur, quas juxta sanctorum Patrum traditiones, diversorumque Conciliorum decreta, retineri maxime decet.

2. Omissis igitur his, quæ potius ad legem jurisdictionis Diœcesanæ pertinent quam ad cæremonias, videlicet, quando et quoties tam Provinciales quam Diœcesanæ Synodi indici debeant; quæ personæ convocandæ sint; quo anni tempore; qui in eis consultivum vel decisivum votum habeant; quæ in his tractanda sint; et his similia, quæ cum ex aliis, tum ex Sacro Tridentino Concilio, diversisque Sacrorum Canonum interpretibus intelligi possunt;

3. Primo erit advertendum, præsertim in Concilio Provinciali habendo, ut dies inchoationis hujusmodi Concilii per publica documenta, omnibus, qui de jure vel consuetudine interesse debent, denuntietur, et ut plenius divulgetur, in die Epiphaniæ, dum frequenti populo intra Missarum solemnias festivitates ejus anni solemniores denuntiantur, poterit loco suo inter ipsos dies festos pronuntiari

et promulgari, tam in Ecclesia Metropolitana, quam in quibuscumque aliis Cathedralibus ei subjectis, et per duos, aut saltem unum mensem, ante dictam diem, schedula manu Notarii, seu Cancellarii, subscripta, Ecclesiae Cathedralis valvis affigi sub hujusmodi aut simili tenore: *Concilium Provinciale, seu Synodus Dioecesis N. per Reverendissimum Dominum D. N. Archiepiscopum, vel Episcopum N. indictum, vel indicta hoc anno etc. mense etc. die etc. Deo adjuvante in Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia inchoabitur.*

4. Rursus tribus proximis diebus Dominicis, ante dictam diem, conveniens erit, si tam in ipsa ecclesia Metropolitana per concionatorem, quam in singulis Parochialibus per parochos iterum atque iterum denuntietur, populique fideles ad devotionem, orationes, jejunia, sacramentum Poenitentiae, sanctissimae Eucharistiae sumptionem, aliaque pia opera adhortentur; ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat.

5. Illi vero, qui in ipso Concilio interfuturi sunt, moneantur ut ea sedulo curent observari, quae persancte praefatum Concilium Tridentinum in sessione secunda, salubri decreto statuit, nempe de modo vivendi, et aliis in Concilio servandis.

6. Cum autem praedicta Concilii dies appropinquaverit, ornabitur ecclesia, ubi Synodus habenda est, festivo et solemni ritu, modo et forma *in cap. XII. lib. I. de ornatu ecclesiae* contenta.

7. Sedilia in ea disponentur; in Provincialibus quidem capacia pro numero Episcoporum, Abbatum, aliorumque ecclesiastica dignitate fulgentium, item pro Canonicis, ac etiam pro laicis, si qui interfuturi sunt.

8. Sedes Metropolitanus collocabitur apud altare, ut in indicato Pontificali habetur; et ante faciem ipsius, sedilia Episcoporum per gyrum; deinde conduplicatis sedilibus post Episcopos, ceteri proximiores vel remotiores, pro graduum diversitate, ut mox dicitur.

9. In Dioecesis vero, quia non interveniunt Episcopi, disponentur Dignitates et Canonici Ecclesiae Cathedralis parati hinc inde a lateribus Episcopi, vel ante Episcopum, semicirculum facientes.

10. Pridie ejus diei, qua Synodus inchoanda erit, debent campanae ecclesiae Cathedralis, aliarumque ecclesiarum in eadem civitate existentium, solemni ritu pulsari a primis Vesperis per totam

diem, et ipsa die sequenti, quousque Archiepiscopus vel Episcopus ingressus fuerit ecclesiam.

11. Ipsa die inchoationis Concilii, summo mane, congregatis Episcopis et aliis, qui Concilio interesse debent, in domo ipsius Archiepiscopi, vel alio convenienti loco, Episcopi capiant sacra paramenta, hoc est, supra rochetum, amictum, pluvialia et mitras auri-phrygiatas uniformes, Archiepiscopus vero Concilio præsidens, indutus erit amictu, alba, cingulo, stola et mitra pretiosa; Abbates benedicti pariter cum pluvialibus et mitris simplicibus; Dignitates et Canonici pluvialibus, planetis et dalmaticis, pro qualitate ordinis eorumdem, ut dictum fuit *cap. XV. lib. I. §. VI.* Paramenta omnia erunt coloris rubri.

12. Ibunt autem omnes supplicantes, psallentesque processionali modo, prout in processionibus, quæ Litanie appellantur, ut suo loco dicitur, campanis et organo in ecclesia continuo pulsatis ac resonantibus.

13. Quibus omnibus ecclesiam ingressis, et ostensis, si ostendendæ erunt, Reliquiis, cantabitur Missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur pallio, cum cæremoniis in *cap. VIII. lib. II.* explicatis; vel, eo impedito, ab antiquiore ejusdem Provinciæ Episcopo; et si Festum erit duplex, vel Dominica, sine commemoratione illorum, et sine Evangelio Dominicæ in fine.

14. Qua finita, non autem data benedictione, quæ datur in fine sessionis semper, Archiepiscopus, depositis paramentis Missæ propriis, usque ad tunicellam inclusive, et accepto pluviali, genuflexus ante altare super genuflexorio ibi parato, omnibus aliis etiam genuflectentibus, incipit Antiphonam *Exaudi Dómine, etc.* deinde successive fiet, prout in Pontificali Romano.

15. In sessione vero et ordine proferendi vota, observatum est, ut Episcopi præcedant, juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem, vel præeminentiam ecclesiarum. Dignitates et Canonici Cathedralis ecclesiæ, cum capitulariter procedunt, aut sunt, præferuntur ceteris omnibus: alias Abbates titulares, et habentes usum mitræ præcedunt, et post eos Commendatarii, deinde Dignitates, mox Procuratores Capitulorum ecclesiarum Cathedralium, deinde ceteri pro cuiusque dignitate et gradu, ut *cap. XXIII. §. XIX. lib. I. de ordine thurificandi* colligere debet.

16. Eadem omnia observantur, quoties in Concilio habetur sessio, non tamen necessaria est sollemnis supplicatio, nisi prima vice: et si ultra tres sessiones fiant, repetentur eadem Evangelia, quæ in Pontificali posita sunt.

17. Durante autem Concilio, decens est, ut singulis quintis feriis in ecclesia Cathedrali cantetur Missa sollemnis de Spiritu Sancto, ut in Concilio Tridentino eadem sessione secunda sancitum fuit.

18. Officiales quoque et ministri necessarii deputandi sunt in hujusmodi Conciliis, veluti Notarii, Ostiarii, Magistri Cæremoniarum, et alii, ut habetur in Concilio Toletano quarto, Canone quarto.

19. In fine Concilii Provincialis, post ejus approbationem, dicto per Diaconum *Recedamus in pace*, et factis acclamationibus, omnes Episcopi surgentes, accedunt ad osculum Pacis a Metropolitanano accipiendum, quod deinceps inter se dant et accipiunt, ut caritatem conjunctionemque animorum ostendant. Quod in dicto Concilio Toletano quarto similiter statutum legitur.

20. In Synodis autem Diœcesanis magis deceret, ut acclamationes et oscula Pacis omitterentur.

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

Episcopus in crastinum Missam solemnem celebraturus, pridie Vesperas solemnes ipse peragat. Qui sint dies, quibus ab Episcopo Vesperarum solemnia sunt peragenda. Quo ordine ad ecclesiam procedat. Quo loci Episcopi et Canonici parentur, et quibus paramentis induantur. Ritus incliplendi Vesperas, et præintonandi Antiphonas; et sedendi ad Psalmos. Capitulum a quo, ubi, et quo ordine cantandum. Hymnus et Antiphona Cantici, a quo præintonentur. Incensum quomodo ministrandum. Quo ordine ad incensandum altare Episcopus procedat, et ab eo redeat. Quomodo, et a quo Episcopus incensetur. Quomodo item reliqui. Oratio quomodo dicenda. Quo ritu benedictio danda. Si Cardinalis præsens est, vel Metropolitanus, urbaniter benedictionem ab Episcopo dandam, remittat. Paramenta, quando, et quo loci deponenda.

Sacræ solemnitates regulariter a primis Vesperis initium sumunt. Explicatis igitur in superiori libro his, quæ ad divina officia in ecclesia præparanda pertinent, consequens est, ut de ipsis Vesperis nunc loquamur.

2. Si ergo Episcopus erit solemniter Missam sequenti die celebraturus, Vesperæ solemniter peraguntur, quam si non esset celebraturus. Quod præcipue in his Vigiliis observari solet, videlicet, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ, Sancti Titularis Ecclesiæ, et Patroni Civitatis.

3. Secundæ Vesperæ poterunt etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis, et in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, ac in festo Sancti Titularis Ecclesiæ, et Patroni Civitatis.

4. Postquam ergo Episcopus ad ecclesiam pervenerit, orationemque ante sanctissimum Sacramentum et altare majus fecerit, ordine

superius in cap. XV. §. V. lib. I. narrato: quo tempore Canonici sumunt paramenta, scilicet amictum super cottam, aut rochetum, et alia; paratisque omnibus Canonicis amictibus et sacris paramentis, juxta normam in eodem capite §. VI. traditam, ipse Episcopus paucillum sedet in sua sede; deinde surgens, deponet cappam, capietque sacra indumenta, ordine sumpta ex altari ab acolythis et ministris, videlicet, primo amictum, quem in medio, ubi est parva crux, osculatur, deinde albam, tum cingulum, mox crucem pectoralem et stolam a collo pendentem, quas similiter osculatur in medio, deinde pluviale cum pectorali in conjuncture illius, et sedens, mitram pretiosam ac annulum: quibus omnibus paramentis induitur per Diaconos assistentes paratos, præter annulum, qui imponitur ei per Presbyterum assistentem. Interim, si adest organum in ecclesia, pulsatur.

5. Cum Episcopus sic paratus, paululum sederit, surgit, deposita mitra, surgentibus omnibus; versus ad altare dicit secreto *Pater noster, etc.* et *Ave Maria, etc.* integre; et tenens sinistram manum infra pectus, dextera aperta facit sibi crucis signum a fronte ad pectus, cantans intelligibili voce *Deus in adjutorium meum intēde.* Et pro unoquoque verbo tangit manu, primo frontem, deinde pectus; mox humerum sinistrum, ultimo dexterum, et in fine jungit manus ante pectus.

6. Cum chorus cantat Versiculum *Glória Patri etc.* Episcopus et omnes caput inclinant versus Crucem super altari usque ad Versiculum *Sicut erat etc.*

7. Interim Cæremoniarius ducit Subdiaconum vel alium, ad quem de ecclesiæ consuetudine spectat, intimare Antiphonas in habitu, in quo reperitur ante Episcopum, factis debitis reverentiis altari et Episcopo, cui, dicto per chorum Versiculo *Sicut erat, etc.* et *Allelúja* vel *Laus tibi Dómine etc.*, Subdiaconus præintonat primam Antiphonam, et donec per Episcopum non fuerit præintonatio repetita, Cæremoniarius et Subdiaconus præintonator expectant, ibidem stantes: ea autem repetita intelligibili voce, sive ex libro sive memoriter, prout magis Episcopo placuerit, factis iterum debitis reverentiis Episcopo et altari, ad sua loca redeunt. Episcopus vero sic perstat, donec expleta per chorum Antiphona, inceptus fuerit Psalmus; tunc sedet, accepta mitra leviori, si placeat, et omnes pariter sedent.

8. Psalmi decantari debent a choro, et ab ipsismet Canonicis, et Beneficiatis, aliisque de Capitulo in tono et cantu Gregoriano cum gravitate et decore; ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur; sed *Versiculus Glória Patri etc.* poterit solemniori vocis modulatione recitari, ad quem Episcopus cum mitra, et omnes alii, detectis capitibus, sedentes, vel, prout reperiuntur, se inclinant: et si placuerit, finito quolibet Psalmo, poterit Antiphona per organum repeti, dum tamen per aliquos Mansionarios, aut alios ad id deputatos, eadem Antiphona clara voce repetatur. Et si quis adesset, qui cum organo cantare vellet, nihil aliud cantet, quam ipsam Antiphonam, ut latius *in cap. XXVIII. lib. I. §. VII. et VIII. de organo et organista etc.* explicatur.

9. Reliquæ quatuor Antiphonæ juxta debitum, decentem ordinem, ritumque antiquum, per eundem Subdiaconum, seu alterum, ad quem spectat, præintonari debent, hoc ordine, videlicet, secunda Diacono assistenti a dexteris Episcopi; tertia Presbytero assistenti; quarta primo Canonico in choro manenti, sive ille sit Archidiaconus, sive Archipresbyter, sive Presbyter; quinta Diacono assistenti a sinistris Episcopi.

10. Eadem omnia etiam in præintonatione aliarum Antiphonarum observantur, quæ in prima servari debere dictum est; nisi quod erga Canonicos parcius fiet reverentia, videlicet, sola capitis inclinatione. Surgente autem Canonico, cui præintonatur Antiphona, Canonici et omnes alii in Choro præsentés surgunt; sed quando præintonatur alicui ex assistentibus Episcopi, surgunt tantummodo alii coassistentes.

11. Expleta Psalmorum et Antiphonarum decantatione, ducitur per Cæremoniarium idem Subdiaconus, seu alius, cui, ex consuetudine ecclesiarum, Capitulum cantare convenit, in habitu, in quo reperitur, factis debitis reverentiis, ad locum, ubi decantari solet Epistola in Missa, qui tenens sibimet librum, cantabit Capitulum alta et æquali voce, ad quod Episcopus cum mitra, reliqui omnes, detecto capite, surgunt; et responso per cantores *Deo grátias*, ducitur per Cæremoniarium aliquis Canonicus, seu alius, ad quem de Ecclesiæ consuetudine spectat, qui præintonat Episcopo, cum mitra stanti, Hymnum; et Episcopus statim, deposita mitra, præintonationem Hymni repetit, quem chorus prosequitur in cantu plano, vel musicali, prout magis placuerit; dummodo verba distincte in-

telligantur; cui etiam intermisceri organum poterit; dum tamen verba ipsa Hymni clara voce per aliquos, ad id deputatos, repetantur, vel cum organo cantentur.

12. Si vero fuerint Hymni *Veni Creator Spiritus*, aut *Ave maris stella*, dum Episcopus intonat, omnes genuflectunt, et statim ipse quoque Episcopus ibi in suo genuflexorio ante altare, si adest, genuflectit, sin minus in sua ipsa sede super aliquo pulvino, ad id parato, permanens in genuflexione usque ad finem primi versus; quo finito, surgit, surgentibus omnibus, et stat, quousque perficiatur Hymnus, cum Versiculo et Responsorio. Tunc per Cæremoniarium ducitur idem Subdiaconus, seu alter, qui prius Antiphonas Psalmorum præintonavit, cum eisdem reverentiis ante Episcopum, cui stanti adhuc sine mitra præintonat Antiphonam Cantici *Magnificat*, qua repetita, Episcopus sedet, et accipit mitram pretiosam, et pariter omnes sedent. Et dum cantatur per chorum Antiphona, imponit thus in thuribulum, per acolythum thuriferarium allatum, Presbytero assistente naviculam thuris porrigente, sub ea forma et verbis quæ in cap. XXIII. §. I. lib. I. explicantur.

13. Interim duo acolythi præcedunt ad altare, elevantes hinc inde anteriorem partem superioris tobafæ, seu veli, super altare positi, illamque conduplicant usque ad medium.

14. Cum vero chorus incipit Canticum *Magnificat*, surgit Episcopus cum mitra, omnibus surgentibus, et facto sibi crucis signo a fronte ad pectus, acceptoque sinistra manu baculo pastorali, medius inter Diaconos assistentes, pluviale hinc inde elevantes, pergit ad altare, ante cujus infimum gradum, depositis baculo et mitra, et facta Cruci, super altari positæ, reverentia, ascendit ante medium ipsius altaris, et eo osculato, capit de manu Presbyteri assistentis thuribulum, quod ipse assistens de manu thuriferarii acceperat, et thurificat crucem et altare, Diaconis assistentibus fimbrias pluvialis elevantibus. Qua autem forma dictum thuribulum ad manus Episcopi porrigatur, ac rursus, quo ordine et modo ipsum thuribulum sit ducendum et altare thurificandum, in dicto cap. XXIII. lib. I. latius demonstratur.

15. Thurificato altari. ibique mitra et baculo receptis, Episcopus redit ad sedem suam, ubi stans cum mitra, ab assistente Presbytero thurificatur: et duo acolythi supradicti velum, seu tobafeam paulo ante plicatam reducunt, prout erat super altari; ipse vero

Episcopus, mitra deposita, retento tamen baculo inter manus junctas, stat usque ad finem Cantici et Versiculi *Sicut erat etc.*

16. Interim per Subdiaconum, seu alium, qui Antiphonas præintonavit, thurificatur primo Presbyter assistens, deinde Diaconi assistentes, mox Canonici et alii, ordine suo, ut *in dicto cap. XXIII. §. XXVII. et XXVIII.* explicatur. Quod si interim, expleto Cantico, Episcopus inciperet Versiculum *Dóminus vobiscum* pro Oratione dicenda, debet cessare thurificatio: animadvertendum tamen, ut cantus *Magnificat* ita dimetiatur, ut cum thurificatione simul terminetur. (*Cf. lib. II. cap. III. §. XIII.*).

17. Cum per chorum repetitur Antiphona Cantici, Episcopus deponit baculum, sedet, et recipit mitram. Interim Cæremoniararius, medius inter duos acolythos ceroferarios, eos cum debitis reverentiis ducit ante Episcopum, qui, finita Antiphona et organo silente, deposita mitra surgit, et stans versus altare, ex libro, sibi per assistentem porrecto, cantat Versiculum *Dóminus vobiscum*, deinde *Orémus*, et mox Orationem competentem, manibus junctis, omnibus iterum stantibus. Qua finita, dum repetit *Dóminus vobiscum*, Cæremoniararius cum ceroferariis, factis debitis reverentiis, discedunt, et redeunt ad altare, et in suo loco reponunt candelabra.

18. Dicto per chorum *Benedicámus Dómino* a duobus cantantibus, qui, secundum locorum consuetudinem, induti erunt pluviabilibus vel cotta, dum respondetur per eundem chorum, sive per organum *Deo grátias*, Episcopus, reassumpta mitra, stans in sua sede, si inde a populo commode videri potest, sin minus, accepto baculo pastorali, accedit ad altare, et facta ibidem profunda reverentia cum mitra, benedictionem dat, dicens *Sit nomen Dómini benedíctum*, juxta formam *in cap. XXVI. lib. I.* traditam.

19. Si vero sit Archiepiscopus, aut alius utens cruce, afflata illi per Capellanum, ante se, deposita mitra, illi caput profunde inclinat; mox benedictionem dat. Indulgentiæ in Vesperis numquam publicantur.

20. Si autem adesset Cardinalis non Legatus, vel Metropolitanus, Episcopus mittit ad eum Cæremoniararium sive aliquem Capellanum, ut placeat illi benedictionem dare; quam Cardinalis non Legatus, seu Metropolitanus, remittit ex urbanitate, ab ipso Episcopo celebrante dandam: mox revertitur ad suam sedem, sive ad faldistorium, si eo utatur, ibique exuitur suis paramentis, et pariter Ca-

nonici in suis locis deponunt paramenta sacra, quibus induti erant, et deinde Episcopum saltem extra portam ecclesiæ comitantur, ut supra *cap. XV. §. XI. lib. I.* dictum fuit, organo interim festiva modulatione continuo personante.

CAPUT II.

Episcopus, in crastinum non celebraturus, quomodo Vesperas perficiat. Sacris paramentis induatur, in sede resideat, incipiat, et absolvat Vesperas. Qui, et quomodo Canonici parari debeant. Antiphonæ a quibus præintonandæ sint. Capitulum a quo recitandum. Quid præstandum, si Episcopus hujusmodi Vesperis cum cappa intersit. Canonicus celebrans, ubi sedere debeat. Thurificatio quomodo perficiatur. Oratio a quo dicenda. Quo loci benedictio ab Episcopo danda.

Episcopus si, vel ob aliquod impedimentum, vel alia de causa in festis, in capite præcedenti enumeratis, vel in aliis festis, et Dominicis principalibus non sit ipsemet solemniter Missam celebraturus, velit tamen Vesperis sive primis, sive secundis, interesse, et officium facere, observabit eadem fere omnia quoad se, ac si in crastinum esset celebraturus. Nam et eisdem sacris paramentis indutus erit, et in eadem sede residebit, incipiet, et perficiet Vesperas, prout dictum est.

2. Differentia solummodo erit in infrascriptis, quia hoc casu non omnes Canonici, sed quatuor aut sex tantum cum pluvialibus parantur; assistentes vero Canonici Diaconi, hinc inde a lateribus Episcopi erunt in eorum habitu canonicali, sic et Presbyter assistens.

3. Antiphonæ vero non eodem ordine, nec per Subdiaconum, sed per aliquem ex Canonicis, aut alium, ad quem de consuetudine ecclesiæ spectat, præintonantur; primo ipsi Episcopo, deinde aliis Canonicis, incipiendo a dignioribus, prout ecclesiarum circa hoc usus observabit. Capitulum autem per aliquem ex cantoribus alta voce recitabitur in loco suo vel alio solito. Cetera omnia fiunt et dicuntur, prout in *cap. I. lib. II.* expositum fuit.

4. Quod si Episcopus velit hujusmodi Vesperis interesse cum cappa, tunc minime convenit, ut ipse in tali habitu officium faciat, quia etiam ipsemet sibi debet biretum imponere et auferre. Sed Canonicus hebdomadarius indutus amictu et pluviali supra cottam, seu

rochettum, si illo utatur, totum officium faciet, petita prius ab Episcopo licentia, incipiendo *Deus in adiutorium etc.* usque ad finem, stans a latere Epistolæ, assistentibus sibi quatuor aut sex Beneficiatis pro diversitate festivitatum, prout suo loco dicitur, pariter cum pluvialibus, quibus absque aliis paramentis simpliciter super cotam vel rochettum induuntur. Episcopus vero in sua sede tantummodo benedicet incensum: et in fine solemnem benedictionem dabit.

5. Antiphonæ autem præintonantur ab aliquo ex dictis Beneficiatis paratis; primo ipsi Canonico celebranti, deinde aliis Canonicis dignioribus, juxta morem ecclesiæ. Organi sonus eodem modo poterit intermisceri prout in *cap. XXVIII. lib. I. de organo etc.* declaratum fuit.

6. Ipse celebrans Canonicus una cum quatuor aut sex Beneficiatis assistentibus, dum Psalmi recitantur, sedere poterunt cooperto capite in aliquo sedili, seu scamno præparato, et ornato a latere Epistolæ; videlicet, Celebrans in medio, primi assistentes vero hinc inde, vel alias, prout in illa ecclesia usitatum est: reliqui autem assistentes in scabellis, vel scamno contra altare.

7. Capitulum cantabitur ab aliquo cantore; Hymnus et Antiphona ad *Magnificat* præintonantur ab eodem assistente ipsi Celebranti.

8. Dum cantatur per chorum Antiphona ad *Magnificat*, dignior Canonicus ex Presbyteris, accedente acolytho thuriferario, offert naviculam incensi Episcopo, qui imponit et benedicet incensum more consueto.

9. Incepto Cantico prædicto, ipse Canonicus celebrans cum suis assistentibus surgit, et facta reverentia Episcopo, thurificat more solito altare; quo thurificato, ipse, stans in cornu Epistolæ, capite detecto, ab altero ex dictis duobus Beneficiatis assistentibus, pluviali indutus, thurificatur duplici ductu thuribuli; mox Episcopus stans, capite detecto, a Presbytero Canonico assistente thurificatur apud suam sedem triplici ductu: et demum omnes Canonici et alii ordine suo thurificantur.

10. Finito Cantico et repetita per chorum Antiphona, Celebrans cantat Orationem, stans versus altare a latere Epistolæ, duobus acolythis ceroferariis, candelabra cum cereis accensis afferentibus, et alio inter illos medio, librum tenente.

11. Qua finita, et dicto per chorum *Benedicamus Dómino, etc.*



Episcopus stans in sua sede, si inde a populo videri possit, alias apud altare, capite cooperto, nisi sit Archiepiscopus, aut alius utens cruce, quia capite detecto versus crucem, quæ per aliquem ejus Capellanum genuflexum tenetur, solemniter benedicit: non tamen tunc utitur baculo pastorali quia non est paratus. Reliqua omnia fiunt, prout in antecedenti capite dictum fuit.

CAPUT III.

Quo ritu in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis, Vesperæ celebrandæ sint. Canonicus hebdomadarius pluviali paratus, una cum aliquot Presbyteris similiter paratis et aliis ministris a Sacristia ad altare, processionali ritu procedat. Ubi inchoandum officium. Vesperarum Antiphonæ, et Psalmi, et Canticum *Magnificat*, a quibus intonentur. Ordo thurificationis. Orationes ubi dicendæ, et quomodo Vesperæ compleantur. In diebus solemnioribus sex Presbyteri cum pluvialibus parentur; in aliis non solemnioribus quatuor tantum; in Dominicis, et aliis Festis, duo.

In ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis Canonicus hebdomadarius paratur in sacristia pluviali coloris temporis convenientis super rochetto, si eo utatur, aut super cotta, et cum eo parantur quatuor aut sex Presbyteri de gremio ipsius ecclesiæ, non tamen Canonici; coadunatisque Canonicis, et aliis de clero, in chorum, prædictus Canonicus celebrans procedet e sacristia hoc ordine: præcedunt duo acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde Cæremoniarius et aliqui ministri cottis induti; mox Presbyteri, pluvialibus parati, bini et bini; ultimo loco Canonicus celebrans, pluviali indutus, medius inter duos ex dictis Presbyteris; qui fimbrias anteriores pluvialis ipsius parumper elevat; parati vero procedunt manibus junctis et cooperto capite.

2. Cum perveniunt ante altare, stabunt omnes recta linea; ceroferarii erunt omnium postremi hinc inde a lateribus: in eorum medio Presbyteri pluvialibus parati, et inter ipsos medius Canonicus celebrans paratus, simulque omnes, detecto capite, genuflectent, genuflexique parumper orabunt, præter acolythos ceroferarios et ministros supradictos, cottis indutos; qui statim discedunt ad latera altaris, ibique acolythi candelabra cum cereis extinctis super gradu vel plano inferiori deponunt.

3. Presbyteri parati cum Canonico celebrante, postquam oraverint, surgunt, et profunde altari caput humerosque inclinant. Si vero sanctissimum Sacramentum in eo asservetur, denuo genuflectunt, deinde salutant ab utraque parte chori Canonicos, capituli inclinatione.

4. Canonicus vero paratus celebrans, accedit ad scamnum, panno coopertum, in cornu Epistolæ præparatum, vel ad stallum, seu primam sedem chori ab ea parte, quæ eidem illa hebdomada obtigerit, in qua sede ponitur pulvinum, et alterum cum tapete super alio scamno, seu genuflexorio, ante se posito, super quo etiam ponitur liber, serico coloris ceterorum paramentorum tectus; et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante Celebrantem, et removetur prout opus est; quo casu tapete sternitur ante ipsum Celebrantem.

5. Sedet ibi paululum, Presbyteri vero parati stant ante eum in plano, et cum per Cæremoniarium fit signum inchoandi, ipse Canonicus celebrans surgit, surgentibus omnibus de choro, qui secreto dicit *Pater noster etc.* et *Ave Maria etc.* integre; quibus dictis, elevatur ei pars dextera pluvialis aliquantulum per Cæremoniarium vel per primum assistentem paratum, si sint in scamno; et ipse se signat signo crucis a fronte ad pectus, dicens clara voce, et in cantu competenti *Deus in adiutorium etc.* prout supra, celebrante Episcopo, dictum est.

6. Tunc unus ex dictis Presbyteris paratis; facta altari reverentia, ac ducente Cæremoniarario, accedit ante ipsum Canonicum celebrantem, et illi se profunde inclinatur; et expleto per chorum *Versiculo Sicut erat etc.* et *Allelúja*, vel *Laus tibi Dómine etc.* ipse stans, præintonat illi Antiphonam primi Psalmi, qua per Canonicum celebrantem repetita, ipse iterum facta reverentia ante illum et altare, ut prius, recedit cum Cæremoniarario ad sedilia in plano chori disposita hinc inde contra altare, et ornata panno viridi, aut tapetibus, ubi sedet cum aliis Presbyteris paratis.

7. Expleta per chorum Antiphona, duo cantores, cottis induti, intonant Psalmos in medio chori, et incepto primo versu Psalmi, omnes sedent; et sic remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi quatenus pro intonatione Antiphonarum surgunt, ut mox dicetur.

8. Cum dicitur Versiculus *Glória Patri etc.* in fine cujuslibet Psalmi, omnes caput detegunt, illudque sedentes profunde inclinant,

sic permanentes usque ad Versiculum *Sicut erat etc.* Cantores duo prædicti, vel ultimus ex dictis Presbyteris, pluvialibus paratis, si sint plures quam duo, præintonant ceteras Antiphonas Canonicis ab utraque parte chori per ordinem, incipiendo a dignioribus; et cum aliquis ex Canonicis reassumpturus Antiphonam surgit, pariter omnes tam Canonici quam alii de clero surgunt, et illo sedente, sedent.

9. Finitis Psalmis, duo acolythi simul deferentes candelabra cum candelis accensis, cum dictis Presbyteris paratis, accedunt ad Canonicum celebrantem, eique faciunt reverentiam, et hinc inde ad ejus latus assistunt in plano chori: ipse vero Canonicus, finita Antiphona, seu sono organi, surgit, capite detecto; junctisque manibus, cantat Capitulum; et, eo finito, primus ex dictis Presbyteris paratis, accedens propius ante ejus faciem, intonat illi Hymnum; quo per eum repetito, prædicti acolythi ac Presbyteri parati, facta Canonico reverentia, recedunt ad loca sua, ubi parati stant, manibus junctis, donec perficiatur Hymnus.

10. Quo expleto, duo ultimi ex eisdem paratis, accedentes ad medium chori ante altare cum debita reverentia æqualiter ibi stantes, cantant simul versum voce altiori, quibus chorus respondet: primus vero ex ipsis rediens ante Celebrantem, cum debita reverentia præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per Celebrantem repetita, ipse Celebrans et alii omnes in choro sedent: et cum inchoatur Canticum *Magnificat*, quod a duobus cantoribus, cottis paratis, intonatur, omnes surgunt, et ipse Celebrans, salutans hinc inde Canonicos capitis inclinatione, qui ei assurgere debent capitibus detectis, vadit ad altare cum dictis Presbyteris paratis, ordine, quo venerant, et faciunt altari profundam reverentiam: aut, si super eo sit sanctissimum Sacramentum, genuflectunt ante infimum gradum: Celebrans cum duobus ex dictis paratis ascendit ad medium altaris, quod osculatur, mox vertens se versus cornu Epistolæ altaris, ubi thuriferarius ante eum stans inclinatus, offert illi thuribulum apertum cum prunis ardentibus, ministrante ei Presbytero parato, a dextera illius assistente, naviculam cum cochleari, imponit thus in thuribulum, et benedicit more consueto; acceptoque thuribulo de manu ejusdem Presbyteri parati, thurificat altare debito ritu; mox thuribulum reddit eidem Presbytero parato, a quo acceperat, et ille thuriferario: et facta altari reverentia simul cum dictis Pre-

sbyteris paratis, ordine quo venerant, recedunt ad sua loca, salutatis iterum redeundo Canonicis, ab utraque parte chori, ut prius.

11. Canonicus celebrans, stans in loco suo, in choro, invitato prius ad honorem incensationis proximior Canonico, caput inclinando, aut, si absit, Vicario Episcopi, vel alio digniori, qui immediate post eum debeat incensari, incensatur a primo ex dictis Presbyteris paratis triplici ductu thuribuli, cum profunda capitis inclinatione ante et post incensationem.

12. Thuriferarius, vel ultimus ex assistentibus paratis, quatenus sint sex, vel quatuor, accepto de manu ejusdem Presbyteri thuribulo, thurificat omnes Canonicos ordine suo cum reverentiis ante et post, duplici ductu; deinde ceteros de choro unico ductu, primo tantum in ordine, capite inclinato.

13. Advertant interim cantores et organista, ut cantum et sonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonæ incensatio sit expleta. Cum repetitur a choro Antiphona, omnes sedent. Interim acolythi duo cum candelabris, ac cereis accensis, et Presbyteri parati, accedunt ad Canonicum celebrantem, assistendo, ut supra, factis solitis reverentiis.

14. Expleta Antiphona, omnes surgunt; Canonicus vero celebrans, stans junctis manibus, cantat *Dóminus vobiscum, Orémus*, et Orationem competentem cum sua conclusione, vel plures, pro qualitate temporum, secundum regulas et rubricas Breviarii.

15. Qua, seu quibus finitis, duo ex ultimis dictis Presbyteris paratis accedunt ad medium chori, ad altare versi, et ibi voce altiori cantant *Benedicámus Dómino*, et redeunt ad Celebrantem, qui dicto *Fidélium animæ etc.*, si Completorium continuetur, salutatis Canonicis ab utraque parte chori, discedit cum prædictis paratis, ordine quo venerat: si vero non sequatur Completorium, expletis a Celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loci, dicto remissiori voce *Fidélium animæ etc.* et secreto *Pater noster*, et in fine mediocri voce *Dóminus det nobis suam pacem*, incipit Antiphonam B. Mariæ, stans ibidem, seu genuflectens, stantibus pariter vel genuflectentibus omnibus, quando, iuxta regulas Breviarii, standum vel genuflectendum est, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur, et in fine dicit voce item submissa Versiculum, Orationem, et *Divinum auxilium etc.*, deinde discedit, ut supra.

16. Eodem modo et ordine semper, diebus Dominicis et festi-

vis, quæ a populo observantur, a Canonico hebdomadario, tam in Collegiatis, quam in Cathedralibus ecclesiis, absente Episcopo, Vesperarum officia celebrantur; ea tamen moderatione adhibita, quod in festis solemnioribus, ut in Natali Domini Nostri Jesu Christi, Epiphania, Paschate Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in Festo Corporis Christi, Sancti Joseph Sponsi B. M. V., Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, et Omnium Sanctorum, Sancti Titularis Ecclesiæ, et Patroni Civitatis, vel Ecclesiæ Dedicationis, sex pluvialia a presbyteris, seu clericis totidem, hebdomadario assistentibus, sumantur.

17. In aliis festis immediate subsequentibus diem Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes, item in festis Circumcisionis Domini, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctissimæ Trinitatis et Sancti Joannis Baptistæ, quatuor tantum pluvialia sumantur; in Dominicis vero et aliis festis, duo. In duplicibus autem minoribus, semiduplicibus, simplicibus, et feriis, non oportet Celebrantem seu hebdomadarium esse paratum, nec fieri thurificationes.

CAPUT IV.

Episcopus, si Completorio intersit, et Officium faciat, ubi consistere, et quo habitu, debeat. Quomodo inchoabit et perficiet Completorium. Quæ dicenda sint a choro et ab hebdomadario. Altaris thurificatio ad Canticum prætermittenda. Organum non adhibendum, nisi solemnius Completorium celebretur. Quæ præstanda sint ab hebdomadario versus Episcopum. Quo ritu Completorium dicendum in Collegiatis Ecclesiis.

Si Episcopus Completorio interesse et Officium facere voluerit, assistet cum sua cappa in choro in suo loco, seu stallo, panno aliquo vel tapete cum pulvinaribus ornato.

2. Officium vero ipsius erit circa hæc; videlicet, ut dicente cantore *Jube Domne benedícere*, ipse stans, respondeat *Noctem quiétam etc.* et post lectionem brevem, *Adjutórium nostrum etc.* deinde *Pater noster etc.* tum confessionem, et absolutionem, et alia usque ad *Deus in adjutórium etc.* inclusive, et incepto Psalmo se debet.

3. Cetera omnia dicentur per chorum et hebdomadarium usque ad Orationem, quam ipse Episcopus cantabit, et demum benedictionem dabit, dicens *Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus etc.* Nulla autem fiet altaris thurificatio ad Canticum *Nunc dimittis etc.* nec organum pulsabitur, nisi forte in aliquibus Ecclesiis hujusmodi hora solemnius celebrari aliquando consueverit, quo casu organum adhiberi poterit, juxta normam superius traditam.

4. Cum vero Episcopus præsens erit et Officium non faciet, omnia prædicta per hebdomadarium in suo habitu canonicali fient; observatis tamen debitis reverentiis versus Episcopum; nam ipse hebdomadarius ad Versiculum *Indulgentiam, absolutiõnem etc.* in principio, et ad Versiculum *Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus etc.* in fine, inclinabit se profunde versus Episcopum.

5. In Collegiatis Ecclesiis, vel absente Episcopo, eadem observantur per hebdomadarium.

CAPUT V.

Quo ritu Episcopus ad Matutinum accedat, et illud incipiat. Antiphonæ a quo præintonandæ. Lectiones a Canonicis cantandæ, quomodo, et quo loci. Quæ differentia observanda in benedictionibus dandis. Nona lectio ab Episcopo cantanda, et quo modo. Hymnus *Te Deum* Episcopo præintonandus, si est celebraturus. Organum Hymno intermiscendum.

Quando in Matutinis Episcopo placuerit officium facere, hora competenti veniet cum sua cappa, associatus a Canonicis more solito; et factis orationibus ante sanctissimum Sacramentum et altare majus, accedat ad chorum in loco suo jam ornato, ut supra, ubi sedebit aliquantulum, cucullo cappæ supra caput reducto, vel etiam cum bireto, prout magis placebit, aptatis in gyrum fimbriis cappæ per aliquem Capellanum vel Cæremoniarum Magistrum. Apud eum nulli erunt Canonici assistentes.

2. Post modicam moram Episcopus surget, surgentibus omnibus, et stans, capite detecto, versus altare, dicet secreto *Pater noster, Ave Maria, et Credo*, integre: quibus completis, signans sibi cum pollice dexteræ manus labia parvo signo crucis, altiori voce cantan-

do, dicit *Dómine, lábia mea etc.* deinde *Deus in adjutórium etc.* quod cum dicit, facit sibi signum crucis a fronte ad pectus, prout supra in Vesperis dictum est: et sic permanet, stans, donec per chorum decantatum sit Invitatorium cum Psalmo *Veníte exsultémus Dómino etc.* sed cum cantatur *Veníte adorémus, et procidámus ante Deum,* ipse et omnes de choro ac alii ministri genuflectunt. Deinde surgunt, et stant, donec finiatur Hymnus, quem ipse Episcopus, decenter aliquo præintonante, competenti voce incipiet, si erit celebraturus, alias non.

3. Incepto primo Psalmo, sedebit, et omnes de choro ac alii ministri sedebunt. Psalmi decantabuntur cantu Gregoriano cum pausa ad puncta, et ad flexiones, et clara voce per Canonicos et alios de choro reverenter; et ad Versiculum *Glória Patri etc.* omnes se inclinabunt, prout supra in Vesperis dictum fuit.

4. Antiphonæ per aliquem Mansionarium, vel eum, cui ex consuetudine ecclesiæ competit, præintonabuntur Canonicis, incipiendo a dignioribus gradatim. Primæ autem sex lectiones a totidem Canonicis junioribus, incipiendo a juniore, prius a Cæremoniario instructis, competenti voce et tono recitabuntur, apud legile in medio chori collocatum; septimam et octavam cantabunt hi, qui futuri sunt assistentes a lateribus Episcopi in Missa, nona vero et ultima lectio dicetur ab ipsomet Episcopo.

5. Igitur finitis tribus Psalmis primi Nocturni, cum cantatur Versiculus, omnes surgunt, detecto capite, etiam Episcopus, et Cæremoniarius ducit juniorem Canonicum, qui est cantaturus primam lectionem, ad legile, paulo ante cum libro lectionum præparatum in medio chori nudum, idest sine aliquo panno vel coopertorio; et ibi facta reverentia altari et Episcopo cum profunda inclinatione, respicit aliquantulum in libro lectionem, quam lecturus est, et sic stans, exspectat, donec Episcopus post cantatum Versiculum et Responsorium, inceperit alta voce *Pater noster etc.* et illud secreto perfecerit usque ad Versiculum *Et ne nos etc.* et successive ex libro, sibi allato, aut memoriter cantaverit absolutionem, videlicet *Exáudi Dómine etc.* cui responso per chorum *Amen,* ipse Canonicus stans apud legile, inclinatur profunde se versus Episcopum, et petit ab eo intelligibili voce benedictionem, dicens *Jube Domne benedicere,* et non *Dómine;* ad quem sic inclinatum permanentem, Episcopus conversus, stans, respondet benedicens, videlicet *Benedictióne perpétua etc.* non tamen

manu signans, et responso per chorum *Amen*, Episcopus sedet co-operto capite, et cappæ fimbriæ in gyrum aptantur, ut supra, et pariter omnes sedent.

6. Canonicus vero tunc, et non prius, incipit et prosequitur suam lectionem altiori voce, distincte et modeste, in tono, prout suo loco, et *in cap. XXVII. lib. I.* indicatur. Qua finita, inclinatur se profunde versus altare, dicit *Tu autem Dómine etc.* et facta solita reverentia Episcopo, qui versus eum facit signum crucis, revertitur ad locum suum, absque osculo manus Episcopi.

7. Idem per omnia facit secundus et tertius Canonicus, ac successive alii in secundo et tertio Nocturno, lectiones cantaturi: idemque per Episcopum et chorum observatur, quoad absolutiones, benedictiones, et alia, quæ occurrunt, dum Psalmi et Lectiones cantantur, quod in primo Nocturno servatum fuit: hoc tantum excepto, quod ad primam, quartam, et septimam benedictiones, Episcopus stat, prout stetit, cantans absolutiones; ad alias vero sedet, sedentibus etiam omnibus, præter lectionem cantaturum.

8. Cum cantatur per Canonicum textus Evangelii pro septima lectione, Episcopus et reliqui omnes stant, donec dicatur per dictum Canonicum *Et reliqua*, et postea sedent. Ipse autem Canonicus non debet, recitando textum Evangelii, librum, nec seipsum signare, nec manus junctas tenere, sed super libro, prout in aliis lectionibus. Ad octavam lectionem Episcopus dat benedictionem, sedendo ut supra.

9. Nonam lectionem cantat ipse Episcopus, stans in sua sede pontificali cum cappa, detecto capite, conversa facie ad altare; ad quem tunc, et non prius, accedunt duo Diaconi assistentes et minister de candelâ, et alius de libro serviens. Episcopus autem, si non aderit in choro major se, stans, ut supra, dicit cantando versus altare *Jube Dómine benedicere*, et non *Domne*, cui absolute respondetur per chorum *Amen*. Si vero adesset Legatus, aut aliquis Prælatus se major, Episcopus versus ad illum, peteret benedictionem, ille vero stans in loco suo responderet *Ad societatem civium etc.* vel *Per Evangelica dicta etc.*, factis tamen prius mutuis reverentiis inter Episcopum et Legatum, seu alium superiorem majorem. Et dum Episcopus cantat suam lectionem, omnes pro ejus reverentia stant, detecto capite. Qua finita, Episcopus, profunde caput versus altare inclinans, dicit *Tu autem Dómine etc.* et responso per chorum *Deo grátias*, accedit cum debitis reverentiis prædictus præintonator ante

Episcopum, et præintonat ei *Te Deum laudamus etc.* si est celebraturus. Quo per Episcopum repetito ex libro, vel memoriter, prout magis placuerit, chorus illum prosequitur, cui et organum intersceri poterit, cum regula superius tradita; dummodo Versiculus *Te ergo quæsumus etc.* exprimaturs voce clara, alioquin cum suavi harmonia sine organo. Qui Versiculus dum recitatur, Episcopus et omnes genuflectunt in locis suis.

CAPUT VI.

Quo ritu Matutinum in Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis, absente Episcopo, sit celebrandum. Ordo ad Matutinum accedendi. A quibus inchoandum. Psalmi cum suis Antiphonis quomodo cantandi. Quo pacto absolutio dicenda, lectiones et responsoria cantanda. Nona lectio a quo dicenda, et quo ritu. Hymnus *Te Deum* a quo præintonandus.

In Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis, absente Episcopo, hora competenti congregantur in sacristia omnes Canonici, ubi induuntur suo habitu canonicali. Canonicus quoque, seu alius dignior Presbyter ecclesiæ, Missam celebraturus, induitur eodem habitu Canonicali, vel alio suæ dignitati convenienti, quo in ecclesia uti consuevit; qui sic congregati, incipiunt progredi versus chorum.

2. Præcedunt Magistri Cæremoniarum, deinde duo clerici cantores; tertio loco Canonicus, seu Presbyter facturus Officium; sequuntur alii Canonici seniores, et digniores, deinde juniores, et minus digni.

3. Cum pervenerint ante altare, omnes genuflexi aliquantum orent; Canonicus, seu Presbyter facturus Officium cum suis clericis post ipsum in plano chori, seu ante altare; alii hinc inde in eodem plano ab utraque parte chori.

4. Surgente Canonico, aut Presbytero prædicto cum suis clericis, omnes pariter surgunt. Qui, facta hinc inde Canonicis reverentia, ascendit chorum in primo stallo, seu sede ex ea parte, ubi ea hebdomada chorus assignatur. Sistit se, et prope ipsum stat unus Magister Cæremoniarum. Sub ipso in plano chori erunt duo cantores, qui simul venerant; alii omnes ad sua loca ascendunt.

5. Interim Canonicus facturus Officium, sedet in pulvinari, supra sedem suam posito, habens ante se tapetem super scabello cum pul-

vinari, super quo positus sit liber apertus, continens Antiphonas, Hymnum, et Orationem quæ legenda sunt, vel super legili, ut dictum est in Vesperis.

6. Postquam omnes venerint ad loca sua, indicante Cæremoniario, surgit Canonicus prædictus, ac dicit secreto *Pater noster, Ave Maria, Credo*. Deinde signans sibi pollice dexteræ manus os, cantat in tono competenti *Dómine, lábia mea apéries*, et responso a choro *Et os meum annuntiábit laudem tuam*, eadem manu dextera producens sibi crucem a fronte ad pectus, eodem tono, dicit *Deus in adjutórium meum inténde*; cum dicitur *Versiculus Glória Patri et Filio* etc. tam ipse quam alii omnes profunde se inclinant.

7. Cum dicitur *Sicut erat in principio* etc. surgunt, et interim duo illi cantores accedunt ad medium chori, facta prius altari genuflexione, cantant ex libro super legili, ante se posito, Invitatorium, quod a choro resumitur, et Psalmum *Veníte exsultémus* etc. Interim omnes stant usque ad primum Versiculum primi Psalmi Nocturni.

8. Cum cantatur *Veníte adorémus, et procidámus ante Deum*, tam ipsi cantores et Celebrans, quam alii omnes genuflectunt, postea surgunt, et prosequuntur *Plorémus coram Dómino, qui fecit nos* etc. Repetito Invitatorio, duo illi cantores accedunt ad Canonicum Officium facientem, et stantes in plano ante ipsum, facta ei profunda reverentia, unus ex illis a dexteris præintonat Canonico prædicto Hymnum: quo per Canonicum intonato, chorus prosequitur ab eadem parte, ubi est Canonicus Officium faciens, deinde vicissim ex altera parte, donec Hymnus absolvatur. Et in fine cum nominatur Sancta Trinitas, omnes profunde se inclinant.

9. Expleto Hymno, idem cantor, qui intonavit Hymnum, stans ante Canonicum, facta illi profunda reverentia, præintonat ei Antiphonam primi Nocturni, quam ille intonat ex libro ante se posito. Qua intonata, duo illi cantores, facta reverentia, accedunt ad librum Antiphonarum in medio chori existentem; et facta primum in plano genuflexione versus altare, expleta Antiphona, incipiunt Psalmos primi Nocturni, cantantes primum versum in tono Antiphonarii assignato. Quo primo versu Psalmi intonato, Canonicus faciens Officium et ceteri omnes sedent: cantores iterum genu facta reverentia altari, redeunt ad suum locum in plano chori ante Canonicum facientem Officium, et ibi faciebus ad altare

conversis, in scabello, parum oblongo, panno viridi cooperto, sedent.

10. Et circa finem cujusque Psalmi surgunt, et ambo accedunt ad alteram partem chori: cumque pertranseunt ante altare, in medio genuflectentes, reverentiam faciunt altari: deinde Canonicum in primo stallo seu sede ab illa parte chori sedentem adeunt, et repetita prima Antiphona, facta ei debita reverentia; alter ex eis, ut supra, illi intonat secundam Antiphonam, et sic vicissim semper faciunt successive singulis Canonicis Antiphonas præintonantes: et semper post inchoatum Psalmum, ad suum scabellum redeunt, ubi sedent, dum Psalmus perficitur.

11. Circa finem tertii Psalmi cujusque Nocturni, surgunt, et accedunt ad librum, et ibi factis debitis reverentiis altari et choro, cantant Versiculum, quo incepto, omnes surgunt; et responso a choro, Canonicus faciens Officium intonat *Pater noster*, et reliquum dicit secreto.

12. Interim, dum cantatur Versiculus, Cæremoniarus accedit ad Canonicum juniorem, qui lecturus est lectionem, et facta ei reverentia, ipsum ducit ad legile, ubi lectiones legi solent, quod locari debet in medio chori versus altare; quo cum pervenerit, facit cum Cæremoniaro debitas reverentias altari et Canonicis, primum a parte chori, ubi est Canonicus faciens Officium, deinde ab altera parte; et mox propius accedit ad legile; et cum tempus erit, petit benedictionem, caput profunde versus Celebrantem inclinans, cui ille, stans, benedicit, quod et in aliis benedictionibus servat, hoc est, ut stans, semper detecto capite, benedicat.

13. Lectiones leguntur, festis præsertim diebus, a Canonicis, incipiendo a junioribus ad seniores; et quando non adsunt tot Canonici, primas legunt alii clerici in choro existentes. Legant autem distincte et devote in tono consueto in Ecclesia Romana, prout supra cap. XXVII. § X. lib. I. habetur.

14. Si noctu legantur, Cæremoniarus adhibet parvam candelam, et alia fiunt, ut supra in Matutinis Episcopalibus dictum est, præter osculum manus Canonici facientis Officium; sed lector cum dicit *Tu autem Dómine etc.* in fine lectionis genuflectit, si non est Canonicus, et factis debitis reverentiis iis, qui in choro existunt, discedit.

15. Circa finem tertii Nocturni, Canonicus faciens Officium ac-

cipit pluviale coloris tempori congruentis, et duo cantores similiter, vel plures, si sit consuetudo, induunt pluvialia: cum cantatur octavum Responsorium, duo acolythi sumunt candelabra duo, quæ cum candelis accensis deferunt ante Canonicum paratum, et ea tenent, donec legerit totam lectionem, et inceperit Hymnum *Te Deum laudamus*, etc. quem Hymnum primus ex dictis cantoribus paratis pluviali, facta illi debita reverentia, præintonat.

16. Cum dicitur *Te ergo quæsumus* etc. genuflectit in suo loco, et alii omnes similiter. Hymno expleto, incipit Laudes, in quibus omnia servantur, quæ de Vesperis in Collegiatis solemniter celebrandis, superius in cap. III. lib. II. habentur. In festis autem non solemnibus, et diebus ferialibus, pluvialia indui non oportet.

CAPUT VII.

Laudes ab Episcopo celebrandæ, quando in Matutino solemniter officium fecit. Quomodo inchoandæ. Antiphonæ a quibus præintonandæ. Quo ritu altaris thurificatio ad Canticum *Benedictus* facienda. Benedictio post orationem danda. Ad horas Canonicas Episcopus quomodo assistat.

Expleto Hymno *Te Deum laudamus* etc., si Episcopus in Matutinis solemne Officium peregit, congruum erit ut etiam Laudes solemniter celebret: in quibus ea omnia fere servari conveniat, quæ dicta sunt in cap. II. hujus lib. II. de Vesperis solemniter per Episcopum celebrandis, ipso in crastinum Missam non celebraturo. Nam statim finito Hymno, Episcopus adhuc stans in sua sede episcopali, capiet pluviale et mitram, et alia paramenta, prout in dictis Vesperis dictum fuit, et cum eo quatuor aut sex Canonici ex dignioribus capient pariter pluvialia, alii vero Canonici non parantur.

2. Episcopus igitur inchoabit Laudes, absolute cantando *Deus in adiutorium meum intende*, signando se signo crucis a fronte ad pectus. Antiphonas eodem modo, et iidem præintonabunt Canonicis dignioribus, ut in dictis Vesperis: eademque observabuntur in sessione, surrectione et reverentiis, dum Psalmi et Antiphonæ decantantur, quæ ibidem dicta sunt. Sicut etiam quoad Capitulum et Hymnum.

3. Et cum inchoatur Canticum *Benedictus* etc. Episcopus, po-

sito prius thure in thuribulum, dum per chorum cantatur Antiphona, surget cum mitra, factoque sibi signo crucis et assumpto baculo, associatus a prædictis Canonicis paratis, thurificabit altare, et deinde thurificabitur ipse apud suam sedem, stans cum mitra, a digniori ex dictis Canonicis paratis, vel alio, cui competat, prout ibidem explicatum fuit.

4. Organum quoque ad Hymnum, et Canticum *Benedictus*, et in fine Psalmorum poterit adhiberi, modo superius tradito in *cap. XXVIII. lib. I.*

5. Denique dum repetitur Antiphona per chorum, finito Canticum *Benedictus etc.* Caeremoniarius cum ceroferariis accedit ante Episcopum, qui cantabit Orationem; et mox dabit benedictionem, et denique omnia alia fient, prout ibi latius narratum fuit.

6. Pariter, absente Episcopo, et in ecclesiis Collegiatis eadem omnia servabuntur, prout in dictis Vesperis continetur.

7. Ad reliquas horas Canonicas Episcopus non solet intervenire: si tamen voluerit interesse, assistet in choro cum cappa, et nullum Officium faciet, sed omnia fient per Canonicos et hebdomadarios, juxta stylum ecclesiarum.

8. Excipitur tantummodo hora Tertia, quam, si Episcopus est solemniter Missam celebraturus, pariter et ab illo celebrari convenit, prout latius in sequenti capite declarabitur.

CAPUT VIII.

Pro Missa solemnè Pontificali ab Episcopo celebranda, decet, ut Sacellum deputetur in Ecclesia (ubi non adsit Secretarium) ad sacra indumenta accipienda. Quo ordine Episcopus ad Ecclesiam procedat. Quæ in Secretario præparanda ac faciendæ sint. Tertia quomodo cantanda, et interim Episcopus parandus, et a quibus. Paramenta, quæ ratione Episcopo præbenda. Ordo ad altare procedendi. Confessio quomodo faciendæ. Liber ab Episcopo osculandus et altare thurificandum. Introitus quomodo legendus: Ad *Glória in excelsis*, quo ritu standum. Oratio quomodo dicendæ. Episcopus Epistolam et Graduale legit. Subdiaconum Epistolæ benedicit. Quomodo Diaconus procedat ad Evangelium. Quid servandum, si fiat sermo. Benedictio post sermonem dandæ. Quæ ad *Symbolum* observanda. Quæ a Diacono et a Subdiacono, finito Symbolo, peragenda. Altare post Offertorium thurificandum. Qui, post Oblata, incensandi. Ritus dicendi *Secreta, Præfationem* et *Canonem*. Ordo accipiendi ac dandi Pacis osculum. Quid servandum, si Communio generalis vel particularis fiat. Quæ agenda post Communionem. Quomodo benedictio in fine Missæ dandæ.

Quo ordine, quove comitatu Episcopus ad Ecclesiam, sive pro Vesperis, sive pro Missa, aliisque officiis accedere debeat, superius explicatum fuit. Nunc videnda sunt ea, quæ ad Missam solemnem, ipso Episcopo celebrante, spectant; explicaturi postmodum suis locis in singulis festivitibus, si quid addendum, minuendum, vel immutandum erit.

2. Jam diximus valde convenire, atque antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ consonum esse, ut in ecclesiis Cathedralibus locus aliquis, si sacellum non adsit, ab antiquis secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit ecclesiam, sacrasque preces ad altare sanctissimi Sacramenti tantum, et non ad altare majus effuderit, cum suis Canonicis et choro, conveniat.

3. Qui locus præparatus, ornatusque esse debet altari decenti cum cruce, et candelabris, ac cereis accensis, super quo erunt reposita sacra Missalia, indumenta pro Episcopo, suo ordine. Aderunt etiam ibi sedes pro Episcopo versus cornu dexterum vel sinistrum altaris pro situatione et commoditate loci, et sedilia pro Canonicis, et aliis circumcirca.

4. In eum locum ingressus Episcopus, factaque reverentia cruci super altari prædicto existenti, orabit, ac inde sedebit aliquantum super dicta sede, sibi præparata, donec Canonici extra illum locum capiant sacra indumenta, remanentibus duobus Diaconis assistentibus apud Episcopum, dum alii parantur, qui et ipsi postea accipiunt paramenta.

5. Quibus paratis, atque in eundem locum ingressis, cum debitis reverentiis altari et Episcopo, ac apud eorum sedilia stantibus, Episcopus surgit, et stans, capite detecto versus altare, dicit secreto totum *Pater noster* et *Ave Maria*. Tum faciens sibi crucis signum a fronte ad pectus, ea forma, quæ superius expressa fuit, altiori voce incipit horam Tertiam, dicens *Deus in adjutorium etc.* Choro prosequente *Dómine ad adjuvandum etc.* et Hymnum *Nunc Sancte nobis Spiritus* cui organum intermisceri poterit, secundum regulam in capite XXVIII. §. VIII. lib. I. de organo et organista traditam.

6. Quo Hymno finito, cantor dicit Antiphonam, atque incepto Psalmo *Legem pone mihi, Dómine etc.* Episcopus sedebit, seden-

tibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt; chorus autem prosequetur Psalmos.

7. Tunc minister de libro serviens, cotta indutus, una cum altero candelam accensam tenente, accedent cum libro ante Episcopum, qui poterunt esse aliqui ex suis Capellanis; et qui de libro serviet, genuflexus manebit, dum Episcopus legit sedens. Episcopus vero sedens, legit Antiphonam *Ne reminiscaris etc.* et Psalmos consuetos, duobus Canonicis sibi a lateribus assistentibus, qui debent per totam Missam deservire, alternatim respondentibus. Interim Subdiaconus cantaturus Epistolam, qui simul cum Diacono Evangelium cantaturo, ac aliis Canonicis, erit jam Subdiaconalibus paramentis indutus, dempto manipulo, ut *in cap. IX. §. I. cap. XI. §. II. lib. I. de eorum officio* dicitur, afferet ex credentia super bacili sandalia et caligas, manibus velo coopertis, alio velo cooperta, ambabus manibus elevata, ante Episcopum, illaque, adjuvantibus duobus Episcopi scutiferis, qui ad abacum solent assistere, genuflexus induit primo in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis: eodemque tempore sex vel octo acolythi cum cottis genuflexi, fimbrias cappæ circumcirca elevant et dilatant, cooperiendo dictum Subdiaconum et scutiferos, quo commodius et decentius officium suum peragere possint.

8. Quibus expeditis, Subdiaconus et scutiferi prædicti recedunt ad loca sua. Acolythi, aptatis in gyrum cappæ Pontificalis fimbriis, ad altare redeunt, ut præsto sint pro paramentis Episcopo deferendis. Episcopus prosequitur lectionem Psalmorum, quibus dictis usque ad *Kýrie eléison etc.* surgens, detecto capite, versus altare, dicit orationes. Chorus autem admoneatur, ut Psalmos Tertix læ lente prosequatur, interposito etiam, si opus videbitur, post quemlibet Psalmum organi sonitu, ita ut eodem tempore illos perficiat, quo Episcopus suos Psalmos cum suis Versiculis legerit, et paratus fuerit, ut infra.

9. Lectis Psalmis et orationibus usque ad orationem, quæ pro lotionem manuum dicitur exclusive, Episcopus deposita cappa, incipit legere, vel memoriter dicere orationes, quæ pro paramentis induendis ordinatæ sunt, dicendo singulas orationes ad singula paramenta, cum illis induitur: excepta oratione, quæ dicitur ad manipulum, quæ statim post alias dicenda erit, cum dici non possit eo tempore, quo accipit manipulum.

10. Cum Episcopus exiit cappam, dicet orationem *Exue me Dómine etc.*; dicta per eundem oratione *Da Dómine etc.* pro lotionem manuum, extractisque ei per assistentes Diaconos annulis, lavat manus: et tunc laici tantum, et clerici omnes, præter Canonicos, et Prælatos debent genuflectere, nisi adesset Legatus, aut alter dignior Episcopo, quo casu non debet permittere ut genuflectant.

11. Cum vero sumitur aqua ex abaco pro lotionem manuum Episcopi ab aliquo nobili viro, poterit fieri prægustatio illius a ministris, vel scutiferis illam suggerentibus, ut in *cap. XI. § XI. lib. I.* dictum fuit. Sed si ipsi portantes aquam non sint ex nobilibus civitatis, sed ex scutiferis seu familiaribus Episcopi, non utique ea forma portabunt prout dicti nobiles, sed dextera manu urceum cum aqua, sinistra vero lancem, et cum fuerint ante Episcopum, genuflexi, infundunt pauculum aquæ super labio ipsius lancis, eamque, præsentem Episcopo, degustant; tum aquam, supposita lance, super manus Episcopi infundunt: Presbyter autem assistens porrigit Episcopo mantile ad tergendum manus; quibus tersis, reponuntur ei annuli ab eodem Presbytero assistente: et hæc forma lotionis manuum servatur semper quando Episcopus intra Missarum solemnias et in aliis quibusdam sacris actibus publice lavat manus.

12. Statim lotis manibus adsint acolythi præfati, qui afferunt ex altari paramenta Episcopi per ordinem, unus post alium; videlicet, amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram, quibus induitur Episcopus per Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris paratos, ut supra, hoc modo, videlicet: Diaconus et Subdiaconus capientes singula hujusmodi paramenta de manibus acolythorum, quisque eorum a latere suo adjuvat vestiendo Episcopum, sed principaliter Diaconus omnia operatur; Subdiaconus vero solummodo coadjuvat, ubi opus est; et primo offerunt Episcopo amictum osculandum in medio, ubi est designata parva crux, quam in parte prius osculatur etiam Diaconus; mox illum diligenter aptant circa collum Episcopi, ita ut vestium summitates, quæ vulgo collaria vocantur, omnino tegat, deinde chordulas ex eo pendentes post tergum ductas, ante pectus reductas, stricte colligant.

13. Accipiunt deinde albam, eamque circa collum, humeros et brachia distendunt et aptant. Tertio loco cingulum, quo albam constringunt, incipientes a tergo et ante corpus illam religantes, tum

albæ extremitates circumcirca acolythi sublevant et aptant, ita ut æqualiter defluat et vestes contegat.

14. Diaconus postea sumpta cruce pectorali, eamque etiam in parte prius osculatam, ipsi Episcopo osculandam præbet, et ejus collo imponit, ita ut ante pectus pendeat; stolam deinde etiam in parte deosculatam, Episcopo deosculandam offert, eamque super ejus humeros applicat, ita ut, nec ejus collum tegat, nec transversa sit in modum crucis, sed æqualiter ante pectus pendeat: quod commodius fiet, si ei chordulæ retro et ante sint annexæ, quibus firmari possit, ne huc et illuc vagetur.

15. Demum Diaconus vel Subdiaconus imponunt Episcopo pluviale et mitram, deinde recedunt ad scamnum suum, et si Psalmi Tertiæ non sint perfecti, sedet Episcopus exspectans, donec perficiantur, quibus finitis et repetita Antiphona, Subdiaconus, vel alter, cui ex consuetudine Ecclesiæ competit, in habitu, in quo reperitur, Capitulum cantabit in loco ubi legi solet Epistola, sibi ipsi librum tenens: dummodo nec altari nec Episcopo humeros vertat.

16. Tunc Episcopus surgit cum mitra, surgentibus omnibus, versa facie ad ipsum Subdiaconum cantantem Capitulum: et sic stat, donec cantores cantent Responsorium ultimi Versiculi. Finito Capitulo, Subdiaconus reddit librum Caeremoniario, et vadit ad locum suum.

17. Interea vero duo acolythi, acceptis duobus candelabris cum cereis accensis, versis invicem faciebus, dummodo nec altari nec Episcopo renes vertant, accedunt.

18. Presbyter vero assistens paratus, in eorum medio, tenebit librum supra caput; et finito Responsorio, Episcopus, deposita tunc mitra, stans, ut erat, cantat in tono festivo *Dóminus vobiscum*, et Orationem: et dicto per chorum *Benedicámus Dómino*, ipse Episcopus, deposito pluviali, a Diacono et Subdiacono induitur tunicella, qui constringunt chordulas hinc inde super humeros positas, et deinde eodem modo dalmaticam.

19. Tum Episcopus sedet, et imponuntur ei chirothecæ per Diaconum in dextera et per Subdiaconum in sinistra, manibus illi prius et mox chirothecis per eosdem deosculatis. Mox surgit Episcopus, et induitur ab eisdem planeta, quæ hinc inde super brachia aptatur, et revolvitur diligenter, ne illum impediat.

20. Si Episcopus pallio uti possit, et eo die uti conveniat, af-

fertur per aliquem Subdiaconum ex altari ambabus manibus, vel aliquo supposito, quod Diaconus capiens, Episcopo offert osculandum in cruce posteriori; et advertat, dum illud capit, ut partem duplicem pallii capiat dextera manu, simplicem vero sinistra, et dum illud imponit, Subdiaconus manu dextera elevat partem, quæ a tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Episcopi æqualiter ambiat, et pars duplex pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto, idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis per aliquem acolythum allatis, videlicet pulchriorem, eamque infigit cruci anteriori pallii ante pectus existenti, aliam in cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit cruci posteriori, quæ omnia ita infigantur, ut tertio transeant per crucem, in qua sint ocelli tres, seu ansulæ tres sericæ, ejusdem coloris nigri; ita tamen, ut nec crucem, neque pallium perforent, neque planetam tangant; et gemmæ spinulis appositæ, remaneant ad dexteram infigentis.

21. Tum sedenti Episcopo imponitur per Diaconum mitra pretiosa, sumpta de manibus Capellani, de illa servientis, Subdiacono vittas elevante.

22. Demum imponitur per Presbyterum assistentem annulus Pontificalis annulari digito dexteræ manus Episcopi, annulo prius et manu postea deosculatis. Episcopo parato, accedunt ad eum Archidiaconus et alter Diaconus, seu duo digniores Canonici Diaconi, parati dalmaticis, qui ei a lateribus assistunt a principio.

23. Diaconus vero et Subdiaconus recedunt: et capiunt suos manipulos, et accedente acolytho thuriferario cum thuribulo et navicula, ministranteque Presbytero assistente naviculam, Episcopus imponit et benedicit thus, ut supra *in cap. I. lib. II. §. XII. de Vesperis solemnibus, Episcopo celebraturo*, dictum fuit. Deinde Episcopus cum suis ministris, facta reverentia cruci super altari in dicto sacello, seu secretario existenti, processionali ritu procedunt ad altare, in quo Missa est celebranda, hoc ordine.

24. Thuriferarius cum thuribulo, deinde ceroferarii cum candelis accensis, medium habentes alterum Subdiaconum paratum tunicella, crucem deferentem: deinde Clerici et Beneficiati ecclesiæ cum suis cottis, bini et bini, incipiendo a junioribus, seu minus dignis. Hos sequitur reliquus clerus illius ecclesiæ suo ordine, ita ut digniores semper sint posteriores in processione. Canonici vero, qui sunt parati, antecedent Episcopum immediate.

25. Post Canonicos procedet Subdiaconus Epistolam cantaturus, gerens librum Evangeliorum clausum ante pectus, in quo includitur manipulus Episcopi, deinde Diaconus ad sinistram Presbyteri assistentis, pluviali induti, demum Episcopus cum baculo pastorali in manu sinistra, parte curva baculi ad populum versa, ac dextera benedicens, si sit in sua civitate vel diœcesi, medius inter Diaconos assistentes paratos. Si autem Episcopus sumpsit paramenta in Presbyterio apud sedem vel in faldistorio, non fit hujusmodi processio; sed procedit Episcopus ad altare sine cruce, sine candelabris et sine thuriferario, cum solis ministris paratis, ut supra, et quibusdam aliis.

26. Post Episcopum sequitur Capellanus serviens de mitra, et alii Capellani cum cottis, bini et bini incedentes.

27. Si vero celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo major, aut habens privilegium ut crux ante se deferatur archiepiscopalis, per Subdiaconum paratum, de quo supra, defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero, imagine crucifixi ad ipsum versa.

28. Cum Episcopus fuerit prope altare, salutatur exiguâ capitis inclinatione Canonicos paratos, apud eorum sedilia stantes; ipsi vero Canonici faciunt ei profundam reverentiam.

29. Si forte adesset Legatus Apostolicus, vel aliquis Cardinalis, aut Archiepiscopus, vel alii Prælati, vel magnus Princeps loci, illos prius debet Episcopus cum mitra salutare, et illi Episcopo, aliquantulum assurgentes, denudato capite respondere, præter Cardinalem, qui non debet assurgere, sed tantum discooperire caput.

30. Cum vero Episcopus pervenerit ante infimum gradum altaris, reddito baculo pastorali ministro, qui de eo servit, et deposita ei per Diaconum mitra, facit profundam reverentiam cruci super altari positæ, simul cum suis ministris. Interim recedunt alii ministri, qui eum illuc usque sequuti fuerant, excepto eo, qui de baculo, altero, qui de thuribulo serviunt, duobusque Diaconis assistentibus, qui remanent. Episcopus vero habens a dexteris Presbyterum assistentem et a sinistris Diaconum, et apud eum modicum retro Subdiaconum, qui tunc relinquit librum Evangeliorum in manibus Cæremoniarum, facit cum eis Confessionem, junctis manibus, stans aliquantulum inclinatus. Interim cessat sonitus organorum, et Chorus incipit Introitum.

31. Dum Episcopus facit Confessionem, profert verba erga dictos ejus ministros, stantes apud eum, capite inclinato, in plurali dicens *Vobis Fratres*, et *Vos Fratres*, et *Misereatur vestri etc.* illi vero erga Episcopum in singulari, idest, *Tibi Pater* et *Te Pater*, et *Misereatur tui etc.* quæ dum dicunt, caput versus Episcopum profundius inclinant.

32. Cum Episcopus dixerit *Indulgentiam, absolutiõnem, et remissionem etc.* Subdiaconus capit manipulum, qui fuerat inclusus in libro Evangeliorum, et a latere manipuli osculatur, deinde porrigit Episcopo osculandum, ubi est signum crucis, mox applicat sinistro Episcopi brachio cum osculo manus, ipsumque stricte religat. Canonici parati, stantes in suis locis faciunt simul Confessionem bini; similiter alii, si qui erunt parati, alias genuflexi, prout etiam laici omnes tunc genuflectunt.

33. Finita Confessione, Episcopus extendens ac jungens manus, clara voce dicit *Oramus*, et ascendens ad altare cum Diacono Evangelii a dextris et Presbytero assistente a sinistris, dicit submissa voce *Aufer a nobis etc.* deinde manibus junctis super altare, inclinatus dicit *Oramus te Dõmine etc.* prout habetur in Missali, et cum dicit *Quorum Reliquiæ hic sunt etc.* positus hinc inde super altari manibus extensis, osculatur illud in medio, nullam tamen ibi designans crucem; et statim ambabus manibus tangens librum Evangeliorum, sibi a Subdiacono a sinistris stante oblatum, in folio Evangelii currentis, illum osculatur, adjuvante Presbytero assistente.

34. Tunc accedit ad altare thuriferarius cum thuribulo et navicula, quam porrigit Diacono, et ille Episcopo, qui imponit et benedicit thus more solito; et accepto thuribulo de manu Diaconi, thurificat altare, prout in suo loco explicatur.

35. Reddit deinde thuribulum Diacono, et accepta mitra pretiosa a digniori Diacono, in officio assistentis serviente, stans in cornu Epistolæ manibus junctis, incensatur a Diacono triplici ductu thuribuli. Tum ex eodem loco facta cruci reverentia, in medio altaris positæ, acceptoque baculo in manu sinistra, medius inter Diaconos assistentes, (nam Diaconus et Subdiaconus remanent apud altare) vadit ad sedem suam, ubi stans, deposita mitra, et facto sibi signo crucis a fronte ad pectus, legit Introitum ex libro, quem sustinet Capellanus de eo serviens supra caput, altero candelam ac-

censam tenente. Assistentes vero hinc inde ostendunt digito, quæ sunt legenda, et vertunt folia.

36. Deinde cum eisdem assistentibus dicit alternatim ter *Kýrie eléison*, ter *Christe eléison*, et ter *Kýrie eléison*. Diaconus et Subdiaconus idem dicunt inter se apud altare, sicut et ceteri in choro. Quo dicto sedet, accepta per primum Diaconum assistentem mitra auri-phrygiata simplici, si hæc placeat, et gremiali, et pariter omnes sedent. Presbyter assistens sedet in scabello, prout in cap. VII. §. IV. lib. I. de Presbytero assistente, tam in Vesperis, quam in Missis dicitur. Diaconi assistentes sedent hinc inde a lateribus Episcopi in scabellis nudis: Diaconus vero et Subdiaconus in Missa ministrantes, apud altare super aliquo scamno apud cornu Epistolæ sedent.

37. Cum cantatur a Choro ultimum *Kýrie eléison* surgunt omnes ministri circumstantes Episcopum: et aufertur Episcopo per assistentem a sinistris gremiale et mitra; pileolum vero per assistentem a dexteris, complanatis cum eo capillis, quod penes se retinet; sed mitra et gremiale ministris et servientibus traduntur.

38. Finito a Choro cantu *Kýrie eléison*, surgit Episcopus, adjuvantibus eum ministris assistentibus; versa facie ad altare, et allato ante eum libro, et candela, si ea uti velit, cantat ex eo alta voce *Glória in excelsis Deo* disjunctis, elevatisque manibus ad altitudinem humerorum, ita ut vola unius manus respiciat alteram: quod semper in hujusmodi manuum elevatione observatur: et cum dicit *Deo*, jungit manus, et caput inclinat: librum vero sustinet supra caput Presbyter assistens paratus pluviali, quem regulariter sustinere eo modo debet, quoties Episcopus aliquid alta voce cantat; quo casu minister, qui alias servit de libro, adjuvat ad sustinendum illum; secus quando Episcopus submissa voce legit: Diaconi vero assistentes hinc inde indicant digito, quæ sunt legenda, et vertunt folia.

39. Postquam Episcopus incepit, cantando præfatum Hymnum, prosequitur illum submissa voce cum suis ministris. Diaconus, et Subdiaconus, ac Prælati, et Canonici in suis locis idem bini simul faciunt; et in fine Episcopus sedet, accepta mitra simplici et gremiali; et similiter sedent omnes, usquequo absolvatur cantus Hymni: quo finito, surgit Episcopus, deposita mitra et gremiali, surgentibus omnibus, ut prius, et stans versus populum, elevatis, et statim junctis manibus, cantat *Pax vobis*, deinde conversus ad altare, extensis,

et statim junctis manibus *Orémus* et iterum, extensis manibus, Orationem et cum dicit conclusionem ultimæ Orationis, idest *Per Dóminum nostrum etc.* denuo jungit manus, prout plenius circa hujusmodi junctionem et disjunctionem manuum in Rubricis Missalis declaratur. Sedet deinde Episcopus, sedentibus omnibus.

40. Subdiaconus autem accipiens librum, factisque debitis reverentiis altari et Episcopo, comitante ad ejus sinistram Cæremoniaro, et sibi ipse tenens fibrum, a latere sinistro altaris, vel, ubi ita consuetum sit, in ambone, cantat Epistolam alta voce, qua finita, et factis debitis reverentiis, portat eodem modo, quo supra, ante Episcopum librum clausum, quem inclinatus porrigit illi super ejus genibus, et manum dexteram illius, super libro positam, reverenter osculatur, et accepta benedictione ab Episcopo, redit ad scamnum suum apud altare, et ibi exspectat, donec fuerit tempus eundi ad Evangelium.

41. Osculata manu Episcopi per Subdiaconum, accedent duo ministri servientes de libro et candela ante Episcopum, qui sedens cum mitra, ex libro Missali legit Epistolam, Tractum, vel Graduale, vel *Allelúja*, vel Sequentiam, et alia usque ad finem Evangelii, quod antequam incipiat, junctis manibus dicit *Munda cor meum etc.* et *Jube Dómine etc.* et *Dóminus sit in corde meo etc.* et *Dóminus vobiscum*: cui Diaconi assistentes respondent *Et cum spiritu tuo*; et legens titulum signat pollice dextero textum Evangelii, deinde seipsum in fronte, ore et pectore, mox, junctis manibus, prosequitur Evangelium. Quo finito assistentes respondent ei *Laus tibi Christe*. Sed si Episcopus non sit in sua ecclesia, vel celebret apud faldistorium, Subdiaconus osculata manu Episcopi, tenet ante eum Missale apertum, ex quo Episcopus legit, ut supra, et interim omnes sedent.

42. Cum cantatur ultimus versus Gradualis, sive Tractus, seu *Allelúja*, vel Sequentia: Diaconus, sumpto libro Evangeliorum, factaque reverentia Episcopo, illum clausum, congruenti mora, affert ad altare, illi in infimo gradu se inclinans, tum ascendit, et collocat illum in medio altaris; deinde facta altari reverentia, vadit ad Episcopum, cujus manum reverenter deosculatur; tum reversus ad altare, in ejus inferiori gradu genuflexus, dicit secreto *Munda cor meum etc.* et deinde capit librum, et illum portat ante pectus, et apud altare in cornu Epistolæ in plano exspectat.

43. Interim accedit acolythus ad Episcopum cum thuribulo et

navicula, et ministrante illam Presbytero assistente, Episcopus imponit et benedicit incensum. Tum acolythus, recepta navicula de manu Presbyteri assistentis, redit ad altare, et ibidem cum duobus aliis acolythis ceroferariis, Diacono et Subdiacono, exspectat, donec tempus sit eundi ad cantandum Evangelium.

44. Circa finem ultimi versus Gradualis, vel Alleluja, sive Tractus, vel Sequentiæ,thuriferarius, ceroferarii, Subdiaconus, et Diaconus portans librum Evangeliorum clausum ante pectus, facta prius altari reverentia, veniunt ante Episcopum, ubi Diaconus inclinatus petit benedictionem, dicens intelligibili voce *Jube Domne benedicere*, cui Episcopus respondet *Dóminus sit in corde tuo etc.* et facit super eum signum crucis. Tum Diaconus facit Episcopo profundam reverentiam; ministri vero, qui cum eo sunt, permanent genuflexi, donec Episcopus benedixerit, et statim procedunt ad Evangelium cantandum, hoc ordine. Præcedit cæremoniarius, mox thuriferarius cum thuribulo et navicula, sequuntur duo ceroferarii cum candelabris ac cereis accensis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimo Diaconus, librum Evangeliorum clausum ante pectus portans. Et transeuntes ante altare, faciunt illi reverentiam cum genuflexione, præter Diaconum et Subdiaconum, qui cum sint Canonici non genuflectunt. Cum pervenerint ad locum, ubi solet Evangelium decantari, Subdiaconus, medius inter dictos ceroferarios, tenet librum Evangeliorum apertum ante pectus, vertens renes non quidem altari, sed versus ipsam partem dexteram, quæ pro Aquilone figuratur.

45. Si vero in ecclesia fuerint legilia, vel ambones, in illis poterit cantari Evangelium; videlicet, si cantabitur in legili, seu pulpito, Subdiaconus stabit post illud, quod panno aureo, vel serico coloris ceterorum paramentorum coopertum et ornatum esse debet, amplectens ipsum legile, et manibus hinc inde librum tangens; quod si cantabitur in ambone lapideo, ad quod per gradus ascenditur, prout adhuc in pluribus ecclesiis juxta antiquam consuetudinem hujusmodi ambones reperiuntur, tunc Subdiaconus assistet et ministrabit Diacono opportune, stans a latere ejus dextero, videlicet porrigens thuribulum et vertens folia libri Evangeliorum, cum opus erit.

46. Diaconus, cum tempus est, junctis manibus ante pectus, incipit Evangelium, et cum dicit *Dóminus vobiscum*, Episcopus, depositis gremiali et mitra, surgit, et cum Diaconus dicit *Inítium*, vel *Sequéntia sancti Evangélii etc.* signat librum, ubi est textus Evan-

gellii, deinde seipsum in fronte, ore et pectore. Episcopus autem, accepto baculo pastorali, eodem modo signat se in fronte, ore et pectore; idem faciunt et omnes alii; tum ipse Episcopus retinet baculum inter ambas ejus manus junctas, stans versus Diaconum cantantem: et cum respondetur a Choro *Glória tibi Dómine etc.* cæremoniarius, accepto thuribulo de manu thuriferarii, ibi prope adstantis, illud offert Diacono, qui thurificat librum, primo in medio, deinde a parte dextera libri, mox a sinistra triplici ductu, et reddit thuribulum cæremoniaro: tum manibus junctis prosequitur Evangelium, et cum profert nomen JESU, vel MARIÆ, inclinat se, sed profundius, cum dicit JESUS; quod et omnes faciunt: Subdiaconus autem et ceroferarii perstant velut immobiles. Finito Evangelio, Subdiaconus, nulla facta reverentia, portat librum apertum in folio, ubi est principium Evangelii cantati, et illum offert osculandum Episcopo, nulla ei facta reverentia, nisi postea, libro clauso.

47. Diaconus et alii cum debitis reverentiis eodem ordine revertuntur, et Presbyter assistens, accepto thuribulo de manu cæremoniararii vel thuriferarii, stans thurificat Episcopum stantem.

48. Si erit habendus sermo, quem, Episcopo celebrante, ab eo fieri convenit, vel ab aliquo Canonico Presbytero, si quidem Episcopus erit concionaturus, id faciet in propria sua sede, quando est versa ad populum, vel quando altare adhæret parieti, apud ipsum altare, sedens ibi super faldistorio, in suppedaneo ipsius altaris, versis altari renibus.

49. Sedebunt ad ejus dexteram Presbyter assistens, et modicum post eum Diaconus Evangelii, et primus Diaconus assistens: a sinistris vero sedebunt Subdiaconus et alter Diaconus pariter assistens.

50. Expleto sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ad sinistram Episcopi aliquantulum inclinatus, faciet Confessionem ante Episcopum, ut in *cap. IX. §. III. lib. I. de officio Diaconi in Missa solemni* explicatur, qua finita, Presbyter assistens pronuntiat Indulgentias, et Episcopus stans sine mitra in eodem loco, legit absolutionem, videlicet *Præcibus, et méritis etc.* et inde, accepta mitra, dat benedictionem; et, si est Archiepiscopus, vel alius utens cruce, portatur ante eum crux per Capellanum, qui eam tenet genuflexus spatio congruenti, imagine Crucifixi ad Archiepiscopum versa, cui ille caput inclinat, et detecto capite benedicit: statimque, si Episco-

pus ante altare sermonem habuit, revertitur ad sedem suam, ubi dicit *Credo etc.* vel *Dóminus vobiscum*, prout convenit.

51. Si vero sermo habendus sit per Canonicum, qui eo casu debet esse in habitu ordinis, seu dignitatis suæ, suo tempore ibit ad osculum manus Episcopi, et ab eo profunde inclinatus petet benedictionem et Indulgentias in formâ, prout suo loco explicatur, et sic paratus ascendet pulpitem, sive ambonem, et faciet sermonem; ac deinde finita per Diaconum Confessione, in eodem loco publicabit Indulgentias in forma, prout suo loco dicitur. Episcopus vero legit absolutionem et dat benedictionem, ut supra.

52. Quod si sermo habendus non sit, ipse Episcopus, statim incensatus post Evangelium, conversus ad altare, incipit, cantando ex libro per Presbyterum assistentem, aliis coadjuvantibus, ut supra, sustentato, *Credo in unum Deum*, quod cum suis ministris submissa voce prosequitur; pariter, et Diaconus, et Subdiaconus apud altare, et Canonici illud inter se dicunt, et ad Versiculum *Et incarnátus est etc.* Episcopus genuflectit, et pariter omnes de choro genuflectunt.

53. Quo finito, sedet Episcopus cum mitra simplici, et omnes etiam sedent: et cum prædictus Versculus cantatur a choro, pariter Canonici sedentes, capite detecto, et Episcopus cum mitra profunde inclinant caput versus altare, alii genuflectunt, donec perficiatur dictus Versculus. In nocte vero et die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, ac die Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, Episcopus cum mitra apud suam sedem, et Canonici, ac omnes alii in suis locis genuflectunt quando cantatur dictus Versculus a choro, et eo finito omnes sedent.

54. Diaconus, finito Versiculo, surgit, surgente etiam Subdiacono, et accedens ad abacum, capit bursam cum corporali, quam ambabus manibus elevatis usque ad oculos, cum decenti mora et gressu, ac cum debitis reverentiis portat ad altare, ubi extrahit corporale, idque explicatum ponit super altare in medio, bursam vero seorsim in eodem altari collocat: ita ut non præbeat impedimentum: et statim redit ad locum suum, et sedet, tunc sedet Subdiaconus, si forte exspectavit stans, ex consuetudine multorum.

55. Circa finem Symboli surgunt omnes ministri, eo vero prorsus a choro cantato, surgit Episcopus, depositis gremiali et mitra; et stans in sua sede, cantat versus populum *Dóminus vobiscum* et

Orémus, manibus prius parumper extensis, et mox statim junctis, ut supra de Oratione dictum est.

56. Quod si sederet in faldistorio, ut quia Legatus vel Cardinalis adesset, ob cujus præsentiam abstineret a sua sede Episcopali, tunc servabit regulam vertendo se ad populum, vel ad altare, prout suo loco explicatur; legit mox Offertorium, submissa, sed intelligibili voce, ex libro, quem tenet Capellanus, de eo serviens.

57. Quo lecto, sedet, et accipit mitram pretiosam, deponitque annulum et chirothecas, quæ omnia extrahuntur ab assistentibus Diaconis; et accedente scutifero vel alio nobili, lavat manus, et præbente mantile Presbytero assistente, tergit, ut dictum est in principio hujus capituli. Assistens vero, vel statim postquam Episcopus legit Offertorium, præmittit ministrum, de libro servientem, qui eum ferat ad altare, vel ipse, ubi primum mappam porrexit, et recepit, portat illum cum pulvino cum debitis reverentiis, comitante eum cæremoniario, illumque, supposito pulvino, reponit in cornu Evangelii apertum eo loco, in quo continentur ea, quæ Celebrans est lecturus, ibique, extra dictum cornu, expectat Celebrantem.

58. Interim, dum hæc omnia fiunt, post cantum Offertorii pulsatur organum.

59. Episcopus statim, lotis manibus, reassumit annulum a Presbytero assistente porrectum, et surgit accipiens manu sinistra baculum pastorem, et mediis inter duos Diaconos assistentes, ac subsequente ministro, de mitra serviente, procedit ante infimum gradum altaris in medio, ubi depositis baculo et mitra, factaque profunda reverentia cruci, ascendit ad altare, auxiliantibus ipsi ascendenti gradus, Presbytero assistente a sinistris, si per alium præmiserat librum, Diacono vero Evangelii a dexteris; et cum fuerit ante altare, omnibus tunc in choro sedentibus, illud in medio osculatur, positus hinc inde manibus.

60. Subdiaconus postquam Episcopus lavit et tersit manus, accedit ad abacum, ubi velum illud sericeum, quo calix, patena, et alia super ipsa mensa cooperiebantur, circumcirca humeros accipit, adjuvantibus acolythis, ita ut longius pendeat a parte dextera: deinde capit manu sinistra calicem cum patena, super qua duæ sint hostiæ mundæ, palla coopertæ, ac dictam partem longiorem veli super ea extendit; dexteramque supra ipsum velum et calicem leviter apponit, ne aliquid decidat, et sic ad altare procedit, quem

sequitur acolythus, urceolos vini et aquæ portans, sumptos ex eodem abaco, et prægustatos a credentiariis, ita ut eodem tempore cum Episcopo ad altare perveniant, ubi Subdiaconus calicem cum patena ponit in cornu Epistolæ, remoto velo.

61. Diaconus vero capit de manu Subdiaconi patenam cum hostiis, ex quibus unam accipiens, et cum ea tangens alteram ac patenam, et calicem intus, et extra, eandem sacristæ, ibi præsentem, prægustandam præbet: mox patenam cum altera hostia ad manus Episcopi cum osculo porrigit, qui illam ambabus manibus ante pectus elevatam tenens, et oculos sursum dirigens, ac inde demittens, dicit *Súscipe, sancte Pater etc.* et in fine faciens cum ea signum crucis, collocat hostiam super corporali versus se, patenam vero ponit ad dexteram sub corporali.

62. Interim Diaconus parum vini et aquæ ex ampullis, quas ibidem acolythus tenet, in aliquem cyathum infundit, ex quo sacrista illud bibit; mox calicem tergit purificatorio, et accepto de manu Subdiaconi urceolo vini, quem illi acolythus ministrat, imponit vinum in calicem, quantum sufficiat, Episcopo inspiciente, Subdiaconus vero urceolum aquæ parumper versus Episcopum elevans, dicit *Benedicite Pater Reverendissime.* Episcopus autem, facto versus eum signo crucis, dum infundit pauculum aquæ in calicem, dicit orationem *Deus, qui humanæ substantiæ etc.*

63. Diaconus deinde porrigit Episcopo celebranti calicem cum osculo calicis et manus, quem Episcopus ambabus manibus capiens, dextera scilicet nodum, sinistra pedem, illum offert simul cum Diacono tangente pedem calicis, seu brachium dexterum Episcopi sustentante, simulque cum illo dicit orationem *Offérimus tibi, Dómine, cálicem etc.* Qua dicta eundem calicem, facto cum eo signo crucis, ponit Episcopus super corporali in medio, retro hostiam, ita ut hostia sit inter ipsum celebrantem et calicem, quem Diaconus palla cooperit. Tum idem Diaconus capiens patenam, ponit illam in manu dextera Subdiaconi, ac extremitate veli ab ea parte pendentis contegit, quam Subdiaconus, stans post Episcopum et Diaconum, spatio congruenti, sustinet elevatam usque ad *Pater noster*, ut infra dicitur.

64. Prosequitur interim Episcopus cum cæremoniis, prout in Missali, orationes, videlicet *In spiritu humilitátis etc.* et *Veni, sanctificátor etc.* et cum dixerit *Benedic hoc sacrificium tuo sancto nó-*

mini præparatum, ministrante Diacono naviculam, et dicente *Benedicite Pater Reverendissime*, acolytho vero thuribulum sustinente, dicit *Per intercessionem etc.* et alia, prout in Missali: et accipiens thuribulum de manu Diaconi, thurificat oblata et altare, juxta formam in suo particulari *cap. XXXIII. §. IX. lib. I.* traditam, dicens interim Versiculum *Dirigatur, Dómine, oratio mea etc.* Quo thurificato, reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolæ, dicens *Accéndat in nobis Dóminus etc.* Et accepta mitra pretiosa ab assistentibus, vel ipsis deficientibus, de manu cæremoniarum, vel alterius, thurificatur in eodem loco stans, a Diacono triplici ductu, et statim lavat manus, more solito, dicens Psalmum *Lavabo etc.* ministrante mappulam pro illis tergendis Presbytero assistente.

65. Diaconus vero interim thurificat Prælatos, Dignitates, Canonicos, Magistratus, et alios de choro, ordine, prout late suo loco explicatur.

66. Postquam Episcopus laverit et absternerit manus, aufertur ei mitra a præfatis assistentibus, vel illis absentibus, a cæremoniarum, vel altero, qui eam illi proxime imposuit, quam minister de ea serviens reportat ad abacum. Episcopus vero rediens ad medium altaris, inclinatus, et junctis manibus, dicit orationem *Súscipe, sancta Trinitas etc.* qua dicta, osculatur altare, deinde erectus, convertit se junctis manibus ad populum per latus suum dexterum, dicens voce intelligibili, ac manibus parumper extensis *Oráte fratres*, et statim eas jungens, perficit circulum, proseguendo *ut meum, ac vestrum etc.* Tum manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio altaris versus librum, dicit absolute, sine *Orémus* et sine alia interpositione, Orationem, vel Orationes secretas. Cum dicit *Per Dóminum*, jungit manus: et cum dicit *Jesum Christum*, caput inclinat, quod facit in prima Oratione et in ultima, si plures sint dicendæ.

67. Cum autem pervenerit in fine ultimæ Secretæ ad *Per ómnia sæcula*, exclusive, stans in medio altaris, positus hinc inde super altari manibus, clara voce cantando, illa profert, deinde *Dóminus vobiscum*, cum Præfatione competenti, et dicens *Sursum corda*, manus aliquantulum elevat; ac dicens *Grátias agámus etc.* manus elevatas jungit in verbo *Deo nostro*, oculos elevans, et statim caput aliquantulum inclinans, mox disjungit manus, easque expansas tenet usque ad finem Præfationis; et iterum cum dicit *Sanctus, Sanctus*

etc. illas jungit, capite aliquantulum inclinato, prosequens cetera cum ministris, submissa voce, videlicet, assistente Presbytero et Diacono, qui tunc ad eum accedit. Et cum dicit *Benedictus qui venit etc.* erigens se, facit sibi signum crucis a fronte ad pectus, sinistra infra pectus posita: tum manibus junctis, et super altari positus, devote inclinatus, extollit ad crucem oculos, et eos statim demittit, et incipit ac prosequitur secrete totum Canonem, illumque adjuvat Diaconus, elevando dalmaticam ad brachium, et discooperiendo et cooperiendo calicem dum signat, et alios actus faciet, prout in Missali, attente et devote usque ad elevationem. Presbyter vero assistens advertat ad illa verba *Una cum famulo tuo etc.* et *Antistite nostro etc.* ut ea proferat secundum regulas in Rubricis Missalis positas, videlicet *Me indigno servo tuo etc.*

68. Dicto *Sanctus etc.* vel incepto Canone, quatuor, sex, aut ad summum octo ministri, cottis induti, afferant totidem funalia ceræ albæ accensa, et factis debitis reverentiis, collocant se genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi, tenentis patenam, vel si magis commodum, ad latera altaris.

69. Tunc vero omnes, tam in choro quam extra, genuflectunt, præter Presbyterum, et Diaconos assistentes, et Diaconum, ac Subdiaconum, qui nonnisi cum celebrante genuflectunt. Cum Celebrans profert verba Canonis *Quam oblationem etc.* et dum elevatur sanctissimum Sacramentum, Diaconus accedit ad ejus dexteram, advertens ad discooperiendum et cooperiendum calicem, cum Episcopus super eo signat, et cum sanctissimum Sacramentum elevatur, genuflexus sublevat extremitatem planetæ Episcopi celebrantis, prout de his plenius in *cap. IX. lib. I. §. V. de officio Diaconi* dictum fuit.

70. Interim cæremoniarius, seu aliquis acolythus, imposito a se ipso, vel ab alio, thure absque benedictione in thuribulum, thurificat Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, dum elevatur, ter pro unoquoque ducens thuribulum. Chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus, qui venit etc.* exclusive; quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus, et cum aliis adorat. Organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia et gravitate pulsandum est.

71. Elevato Sacramento, chorus prosequitur cantum *Benedictus, qui venit etc.*; ministri funalia habentes, surgunt, et factis debitis

reverentiis discedunt, ac funalia extra Presbyterium extinguunt, (nisi facienda sit communio; quia tunc remanent genuflexi cum funalibus accensis usque ad finitam communionem) et pariter tunc omnes surgunt, et stant usque ad communionem inclusive. Celebrans continuat Canonem Missæ cum signis et cæremoniis, prout in Missali. Diaconus vero advertit ad detegendum calicem, cum opus est, aliaque facienda, quæ latius *in superiori capite de officio Diaconi in Missa solemnè* explicantur.

72. Cum Celebrans pervenerit ad Versiculum *Per ómnia sæcula etc.* manibus super altari hinc inde intra corporale positis, dicit intelligibili voce *Per ómnia sæcula sæculórum*; cum dicit *Orémus*, jungit manus, caput Sacramento inclinans: cum vero incipit *Pater noster*, elevat illas ante pectus, easque sic elevatas extensasque tenet usque ad finem dictæ orationis Dominicæ.

73. Cum dicit *Et dimitte nobis etc.* Subdiaconus, facta altari reverentia cum genuflexione, accedit cum patena cooperta ad cornu Epistolæ altaris, ubi Diaconus, remoto velo ex patena, illam capit de manu Subdiaconi. quam abstergit, osculatur, et cum manus osculo porrigit Episcopo celebranti; statim finita oratione Dominica, qui illam inter indicem et digitum medium dexteræ manus capiens absque eo, quod indicem a pollice disjungat; incepta oratione *Libera nos quæsumus etc.* antequam dicat verba *Da propítius pacem etc.* signat se cum ea a fronte ad pectus, et reliqua dicit et facit, quæ in Missali ponuntur.

74. Subdiaconus statim, reddita patena Diacono, deponit velum ad manus cæremoniarum, vel alicujus acolythi, qui illud ad abacum reportat, ipse vero ad locum suum retro Celebrantem redit.

75. Cum Celebrans dixerit *Hæc commixtio etc.*, dicit *Agnus Dei etc.* simul cum Assistente et Diacono: quibus dictis, Presbyter assistens, facta genuflexione Sacramento, accedit ad dexterum latus Celebrantis, Diaconus vero similiter ad sinistrum, ubi supplet ad librum loco Assistentis; ipse vero Assistens, dicta per Celebrantem Oratione *Dómine Jesu Christe, qui dixísti etc.* genuflectit, et statim surgit, osculatur altare simul cum Celebrante, a quo dicente ei *Pax tecum*, accipiet pacem, cui ipse respondet *Et cum spíritu tuo*; dumque pacem accipit, appropinquat sinistram genam suam sinistræ Celebrantis, ita ut se invicem leviter tangant; et iterum ante Sacramentum genuflectens, ac statim surgens, recedit, et comitante cæremonia-

rio, pacem in choro distribuit, sicut in *cap. XXIV. §. III. lib. I. de ordine dandi pacem*, plene demonstratur.

76. Quo facto, revertitur ad locum et officium suum. Interim Diaconus supplet ad librum loco Presbyteri assistentis a sinistris, et Subdiaconus a dexteris servit discooperiendo calicem, et alia faciendo, quæ erunt opportuna, donec Episcopus communicet. Celebrans prosequitur Missam, prout in Missali; et cum sacram communionem Corporis et Sanguinis Domini sumpserit, ac se purificaverit, digitosque abluerit, accedit acolythus de mitra serviens, illamque porrigit Diacono, et Diaconus eam imponit Celebranti, fimbrias elevante Diacono assistente, vel cæremoniarario, qui stans in cornu Epistolæ, lavat manus, afferente lances scutifero, seu nobili, ordine superius dicto; et Presbyter assistens transfert librum ex latere Evangelii ad latus Epistolæ, nisi jam translatus fuerit a Diacono.

77. Subdiaconus vero complicat corporale, tergit et mundat calicem, et omnia, quæ prius attulerat, colligit et componit, velum et bursam super calicem reponendo, eaque ad abacum reportat, sine tamen velo humerali, per gradus anteriores altaris, facta illi reverentia.

78. Episcopus vero, tersis manibus, deponit mitram, legitque Communionem ex libro, quæ etiam cantatur a choro post *Agnus Dei*, postquam Episcopus sumpserit communionem; et ea cantata, Episcopus accedit ad medium altaris, quod osculatur more solito, et vertens se ad populum per latus suum dexterum, cantat *Dóminus vobiscum*, et reversus ad librum per eandem partem, dicit *Orémus*, versa facie ad cruceim altaris; deinde Orationem, seu Orationes competentes; quibus cum sua conclusione finitis, redit iterum ante medium altaris, quod, ut prius, osculatur, et rursus ad populum versus, cantat *Dóminus vobiscum*, et responso per chorum *Et cum spiritu tuo*, Diaconus vertit faciem ad populum, renes autem Celebranti, vel alias juxta dispositionem altaris, et regulariter stat versus, prout Celebrans, et cantat *Ite Missa est* in tono festivo; quo dicto, ipse et Celebrans simul vertunt se per latus Epistolæ ad altare, et Celebrans dicit *Pláceat tibi, sancta Trínitas etc.*

79. Quo dicto, si adsit Cardinalis non Legatus, seu Archiepiscopus suus, aut alius Superior, retrocedit paululum ad latus Epistolæ, quasi benedictionem ipsi Superiori dandam remittens; ipse tamen Superior omnino illam ipsi Episcopo relinquat. Sed præsentè Legato

de latere, convenit ut ipse Legatus benedicat, etiamsi Episcopus sit Cardinalis. Cum vero Episcopus benedictionem daturus est, sumpta mitra, in medio altaris, benedicit more solito, prout in Vesperis dictum fuit.

80. Et si Indulgentia non fuit publicata post sermonem, publicatur ibi tunc per Presbyterum assistentem in cornu Epistolæ versus populum: qua publicata, Episcopus, deposita mitra, dicit versus cornu Evangelii *Dóminus vobiscum*, submissa voce, et facto signo Crucis super altari, dicit *Inítium sancti Evangélii secúndum Joán-nem*, quod prosequitur, sumpta mitra et baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta, associatus a Canonicis; ibique per eosdem ministros exuitur sacris paramentis: Canonici vero deponunt sua paramenta ibidem in locis suis.

81. Si Celebrans sit Archiepiscopus, dat benedictionem sine mitra versus ad suam Crucem, et deponit pallium super altari, ac postea dicit *Inítium sancti Evangélii etc.*

82. Quod si in hujusmodi Missa esset facienda communio generalis, vel particularis aliquorum, observabuntur ea, quæ in cap. XXIX. hujus libri II. §. III. de Missa solemnè in die Paschæ, Episcopo celebrante, dicuntur.

CAPUT IX.

Missæ solemnè quomodo Episcopus assistat. Convenit, ut sacra indumenta adhibeat in festis solemnioribus pro eadem assistentia. Diaconi assistentes in habitu Canonicali inservire debent. Ordo procedendi ad ecclesiam. Quando Episcopus assistat cum cappa. Quid servandum, si Missa celebretur per alium Episcopum, seu Suffraganeum. Thurificatio, qua ratione faciendâ.

Quemadmodum superius de Vesperis solemnibus coram Episcopo celebrandis diximus, Episcopum pluviali, ac aliis paramentis ibidem expressis indutum, convenienter interesse, et officium facere; sic etiam, cum ipsemet non erit celebraturus, sed Missæ per alium celebrandæ intererit, iisdem sacris indumentis vestitus esse poterit, eodemque modo, ordine, et loco, ea sumere, prout ibidem demonstratum fuit.

2. Quo casu debent assistere duo antiquiores Diaconi, sive ex Dignitatibus, sive, his deficientibus, ex Canonicis, et his deficienti-

bus, juniores Presbyteri in eorum habitu canonicali, sed sine sacris paramentis.

3. Ordo autem, quoad accessum in ecclesiam, deductionem, et obviationem Canonorum, ac reditum in fine, idem erit, prout supra in *cap. XV. §. I. et XI. lib. I.* declaratur.

4. In solemnioribus festivitibus Episcopus erit semper cum pluviali, ut supra dictum est. Poterit tamen, si magis placuerit, hujusmodi Missæ in festis minus solemnibus cum sua cappa pontificali interesse, et tunc etiam debent ei assistere præfati duo Diaconi et Presbyter assistens.

5. Quæ autem ab Episcopo agenda exercendave erunt in hujusmodi Missa, diverso modo statuuntur. Nam, aut Missa celebrabitur per aliquem alium Episcopum, seu Suffraganeum, et tunc Episcopus proprius interesse debet cum cappa, et omnia deferre Episcopo celebranti, præter absolutionem et benedictionem post sermonem, ac Indulgentiarum concessionem, quæ omnino ab ipso proprio Episcopo peragenda sunt.

6. Cetera in Missa occurrentia, ut benedictionem incensi et aquæ, benedictionem Diaconi ante Evangelium, deosulationem manus, quæ fit ab eodem Diacono et Subdiacono, benedictionem in fine Missæ, et similia relinquit Episcopo celebranti, qui in benedictione solemnī in fine Missæ vertens se versus Episcopum, quasi veniam petet, et ipse nutu annuet. Circuli tamen Canonorum fient ante ipsum Episcopum proprium, quamvis cappa indutum.

7. Sed si Episcopus proprius forte vellet esse paratus in hujusmodi Missa, ab alio Episcopo celebrata, quod non convenit, nisi Celebrans sit Suffraganeus, vel alias subditus Episcopo, deberet omnia prædicta ipse facere.

8. Si vero Episcopus intererit Missæ celebratæ per aliquem inferiorem Episcopo, sive cum pluviali et mitra, sive cum cappa, omnes præminentia, honores, et actus præfati conveniunt ipsi soli Episcopo, excepto quoad thurificationem, quia quando non est paratus, ut supra, non debet thurificari, nisi post thurificationem Oblatorum tantum.

9. An autem, quomodo, et a quibus Episcopo non celebranti fiat assistentia, tam presbyteralis, quam diaconalis, suis locis explicatum fuit.

CAPUT X.

Vesperis Defunctorum in eorum generali commemoratione Episcopus assistit cum cappa lanea Pontificali. Quo ritu Episcopus in iisdem Vesperis et in Matutinis Officium faciat. Quæ servanda ad Laudes et ad Canticum *Benedictus*. Ordo celebrandi Vesperas et Matutinum Defunctorum aliis temporibus.

Quia in officiis Defunctorum diversæ ab aliis cæremoniæ in multis observantur, ideo de eis est subjungendum. Et primo de Vesperis et Matutinis, quæ celebrantur quotannis pro commemoratione et suffragiis omnium fidelium Defunctorum, immediate post secundas Vesperas festivitatis omnium Sanctorum, quæ simul et junctim in multis Ecclesiis recitari solent; hoc est, statim post Vesperas omnium Sanctorum, Vesperæ et Matutinæ Defunctorum, ad hoc, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint. Et tunc, si Episcopus ipsemet erit in crastinum celebraturus Missam solemnem pro Defunctis, debet etiam et in his Vesperis et Matutinis officium facere; et quidem hoc pacto.

2. Postquam enim in secundis Vesperis omnium Sanctorum observaverit ea omnia, quæ supra expressa sunt in *cap. I. hujus lib. II. de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo*; et ipsis secundis Vesperis expletis, si eis Episcopus interfuerit cum pluviali et mitra, ea deponit, et assumit cappam pontificalem laneam. et descendens ad suam sedem choralem, ibi parumper sedebit, nullis tamen tunc ei Canonicis a lateribus assistentibus; sed tantummodo aliquibus Capellanis, ministris cum cottis, præsertim, qui de libro serviunt, et cum eis cæremoniario, indicante quid et quomodo agendum sit: et cum opus est, cappæ fimbrias aptant, atque interim mutari poterit pallium altaris et candelæ; videlicet, remotis albis, apponi ex cera communi. Interim dum Episcopus et Canonici paramenta deponunt, Mansionarii, seu Capellani, vel Seminaristæ in secretario recitabunt Completorium.

3. Post pauculum moræ surget Episcopus, et detecto capite versus altare, absolute chorus incipit Antiphonam *Placébo Dómine etc.* illam integre recitando: qua finita, et incepto Psalmo *Diléx etc.* Episcopus caput cooperit, et sedet, et sic sedens manet, quo usque inchoetur a choro *Magnificat etc.*; tunc surgit, et stat, detecto

capite, usque in finem, et cum repetitur per chorum Antiphona post *Magnificat*, sedet; et ea finita, surgit, detecto capite, et competenti voce dicit *Pater noster*, quod secrete complet genuflexus, genuflectentibus omnibus.

4. Interim duo acolythi ceroferarii accedunt ante Episcopum cum candelabris et cereis accensis, qui solent fieri ex cera communi, et inter eos erit medius Capellanus de libro serviens. Episcopus alte pronuntiat ea verba orationis Dominicæ, videlicet *Et ne nos inducas etc.* cum aliis Versiculis, respondente choro, quæ habentur in Breviario post Vesperas Defunctorum, et inde surgens ad *Dominus vobiscum*, dicit Orationem *Fidélium Deus etc.* qua finita, subjunget Versiculum *Réquiem ætérnam etc.* choro respondente *Et lux perpétua etc.*; deinde chorus *Requiescant in pace etc.*

5. Quo dicto, sedet Episcopus, cooperto capite, et post modicam moram surgit, capite detecto, absoluteque chorus incipit Invitatorium *Regem, cui ómnia vivunt etc.* pro Matutinis cum Psalmo *Veníte, exsultémus Dómino etc.* Cum chorus incipit Psalmum primi Nocturni, Episcopus sedet, cooperto capite, et sic manet, quousque dicatur per chorum Responsorium Versiculi ante primam lectionem primi Nocturni; tunc surgit, et detecto capite, dicit secreto *Pater noster*, usque in finem: mox sedet, capite cooperto, quousque dictum fuerit Responsorium Versiculi ante quartam lectionem secundi Nocturni; et tunc pariter surgit, detecto capite, dicens *Pater noster*, mox sedens, prout in primo Nocturno; idem facit post Responsorium Versiculi tertii Nocturni ante septimam lectionem.

6. Lectiones ipsæ cantantur per cantores, vel per Canonicos, juxta consuetudinem loci, in tono consueto Lectionum, et Responsoriorum Lectionum per chorum. Dicuntur deinde Psalmi cum suis Antiphonis pro Laudibus; et cum inchoatur Canticum *Benedictus etc.* Episcopus surgit, detecto capite, usque in finem, et cum repetitur Antiphona, sedet, cooperiens caput.

7. Interim accedunt duo ceroferarii cum Capellano, librum tenente ante Episcopum, et omnia fiunt, prout supra dictum fuit in fine Vesperarum hujusmodi. Quibus finitis, Episcopus discedit cum aliis ad suas mansiones, nec datur benedictio, nec publicantur Indulgentiæ.

8. Si autem Episcopus officium faciet in sua sede pontificali; tunc ad *Preces* Episcopus cum Capellanis descendit ad faldistorium,

ubi cum illis et reliquis de choro, dicens *Pater noster* genuflectet; et ad *Dóminus vobiscum* solus surget, et cantabit Orationem, ad quam acolythi cum ceroferariis necessarii non erunt.

9. Cum vero Vesperæ et Matutinæ hujusmodi recitandæ erunt aliis temporibus, quam prædicta die anniversaria omnium Defunctorum, tunc servandæ erunt Rubricæ positæ in Breviario, in ipso officio Defunctorum, nisi essent celebrandæ pro anniversario Episcopi prædecessoris, vel pro aliquo summo viro Principe, vel Prælato proxime defuncto, quo casu quædam specialia observantur, quæ suo loco explicantur.

10. Hæc, ut dixi, servantur, si ipse Episcopus sit in his Vesperis et Matutinis officium facturus; sin minus, posset manere cum cappa in choro in loco suo, et Canonicus hebdomadarius, paratus pluviali nigro supra rochetum, vel cottam, aut saltem stola nigra, faceret, aut diceret omnia prædicta. Neque hoc casu requiritur, ut aliqui Canonici vel Beneficiati cum eo parentur, prout in aliis Vesperis solemnibus. Et idem fiet in Collegiatis, vel Cathedralibus, absente Episcopo.

CAPUT XI.

Quæ præparanda ad Missam Pontificalem pro Defunctis. Cere qualitas. Episcopus sandaliis, et chirotheclis, et baculo pastorali non utitur. Psalmos pro præparatione omittit. Habitus ministrorum assistantium. Manus Episcopi non osculandæ. Epistola et Evangelium ubi cantentur. Candelæ quando distribuendæ et accendendæ. Thurificatio quomodo faciendæ. Exsequiæ ad tumulum, seu castrum doloris, quo ritu peraguntur. Ordo absolutionis pro Summo Pontifice, S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, et Principibus. Ministri pro hac ipsa absolutione, et eorum indumenta. Incensum quomodo ministrandum. Oratio in fine dicenda. Ordo recedendi. Quando hæc absolutiones faciendæ sint.

Si velit Episcopus celebrare die anniversaria omnium Defunctorum, vel alias quodcumque pro Defunctis, hæc præparentur, et fiant: videlicet altare nullo ornato festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus, sed sola cruce et sex candelabris paretur; et duo super credentia cum candelis ex cera communi; super ea nulla ornamenta ponantur, sed tantum, quæ sunt necessaria, videlicet bacile et buccale simplex, Missale, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicella, item pannus niger, extendendus pro abso-

lutione faciendâ, finita Missa, nisi adesset lectus, seu lectica mortuorum, aut castrum doloris; gradus altaris et totum presbyterium sit nudum, excepto, quod unum tapete sub faldistorio et aliud super primo gradu suppedaneo apud altare ponetur; omnia paramenta, tam altaris, quam Celebrantis, et ministrorum, librorum, et faldistorii sint nigra, et in his nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ ponantur. Canonici parentur paramentis sacris, prout in aliis Missis, celebrante Episcopo.

2. Episcopus ipse non utatur in hac Missa sandaliis et chirothecis, nec baculo pastorali: non dicet Antiphonam *Ne reminiscâris*, nec leget Psalmos *Quam dilècta etc.* nec Orationes, quæ in aliis Missis dicendæ sunt, antequam induatur, sed dicet tantummodo orationes pro paramentis, incipiendo ab ea *Exue me Dòmine etc.* et lavabit manus, ac parabitur, dicendo ad aquam, et indumenta, consuetas orationes, exceptis, quæ dicuntur pro sandaliis et chirothecis.

3. Diaconus et Subdiaconus utentur tunicella et dalmatica, et Assistens pluviâli; et aderunt Capellani soliti cum cottis, et scutiferi pro lotionem manuum apud abacum, prout in aliis Missis.

4. Cum Episcopus accedet ad altare, finita confessione, non osculabitur librum, sed altare tantum, et statim redibit ad sedem suam; nec altare, nec ipse thurificabitur, sed apud sedem versus altare leget Introitum.

5. Ministri aliquid dantes vel ministrantes Episcopo in tota Missa, numquam ejus manum aut rem osculentur. Quando dicuntur Orationes, tam ante Epistolam quam post communionem, omnes genuflectunt, præter Celebrantem et ministros; videlicet, Diaconum et Subdiaconum, ac assistentes. Epistola et Evangelium non legantur in ambone, sed in presbyterio in loco convenienti. Subdiaconus, cantata Epistola, non osculetur manum Episcopi.

6. Si distribuendæ sunt candelæ, tunc post Epistolam, dum cantatur Prosa, idest Sequentia, distribuantur, quæ accendantur ad Evangelium, ad elevationem sanctissimi Sacramenti, ac finita Missa, dum fit absolutio. Lecta Epistola, cum cantatur ultimus versus Sequentiæ, Diaconus affert librum ad altare, in cujus medio illum collocat statim, sine osculo manus Episcopi, in supremo gradu genuflexus, dicit *Munda cor meum, etc.* non petat benedictionem pro Evangelio, nec deferantur luminaria, nec incensum, sed accepto ab altari libro, procedet ad cantandum Evangelium cum ministris, or-

dine infrascripto; videlicet, primo cæremoniarius, tum ipse Diaconus, quem sequitur Subdiaconus, ultimo loco duo Capellani. Finito Evangelio, Episcopus non osculabitur librum, sed statim dicet *Dóminus vobiscum*, et *Orémus* pro Offertorio: deinde lavabit manus more solito, et ad altare accedet: non benedicet aquam ponendam in calicem pro oblatione; nec Subdiaconus sustinebit patenam: imponet tamen post Offertorium Episcopus thus in thuribulum more solito, cum benedictione *Per intercessiónem etc.* et thurificabit oblata et altare, et demum ipse solus accepta mitra, thurificabitur a Diacono.

7. Dum dicitur *Sanctus, Sanctus etc.* quatuor Capellani, cum quatuor funalibus ex eadem cera communi accensis pro elevatione Ss. Sacramenti accedunt, et genuflectunt more solito, similiter omnes genuflectunt, sic permanentes usque ad *Per ómnia sácula etc.* ante *Pax Dómini etc.*; Capellani vero cum funalibus usque post communionem.

8. Subdiaconus ad elevationem, imposito per aliquem acolythum thure in thuribulum, thurificabit Ss. Sacramentum, genuflexus in cornu Epistolæ. Non datur pax, nec percutitur pectus ad *Agnus Dei*.

9. In fine Missæ non datur per Celebrantem benedictio, nec publicantur Indulgentiæ, sed Diaconus dicat *Requiescant in pace* versus altare; et Episcopus, dicto in Altari *Pláceat tibi sancta Trinitas etc.* incipiet more solito Evangelium S. Joannis, quod prosequitur mitratus, redeundo ad sedem suam; et ibidem deposita planeta, ac etiam, cum manipulo, dalmatica et tunicella, capiet pluviale nigrum, Diacono et Subdiacono paratis remanentibus, depositis tamen manipulis, et Episcopum ad exuendam planetam, et induendum pluviale, adjuvantibus.

10. Si sermo habendus erit in laudem Defuncti, pro quo Missa celebrata erit, tunc ea finita, ante absolutionem accedet sermocinaturus, vestibis nigris indutus sine cotta, et facta oratione ante medium altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione pro qualitate personæ ascendet pulpitum, panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo crucis, faciet sermonem. Quo finito, vel si sermo non sit habendus, statim finita Missa, accepto pluviali per Episcopum, ut supra, ante infimum gradum solii extendetur pannus niger; vel portabitur lectica mortuorum pro absolutione facienda

ante infimum gradum Presbyterii, nisi alias lectus mortuorum, vel castrum doloris adsit in medio Ecclesiae; quo casu Episcopus pluviali paratus, ibidem, vel solus, vel cum aliis quatuor absolventibus, ut infra dicitur, illuc præcedentibus Canonicis, qui ibidem in suis scamnis consistent, accedere deberet.

11. Si vero Episcopus erit in faldistorio, tunc pannus niger ante infimum gradum altaris extendetur, vel ibidem portabitur lectica mortuorum, pro absolutione facienda.

12. Interim, dum extenditur pannus, vel portatur lectica, Episcopus sedet, et cantores incipiunt Responsorium *Libera me Dómine etc.* et dum repetitur dictum Responsorium, accedunt ad Episcopum duo acolythi, unus cum thuribulo et navicula, alius cum aspersorio et vase aquæ benedictæ. Tunc Episcopus, ministrante naviculam Presbytero assistente a dexteris sine osculis, imponet thus in thuribulum cum benedictione, et statim, si est in faldistorio, accedit ad altare, ubi antequam a choro dicatur *Kýrie eléison*, deponet mitram, et stans versus altare, dicit intelligibili voce *Pater noster*. Si vero erit in sua sede, surget, et deposita mitra, dicto ultimo *Kýrie eléison*, versus altare dicet similiter *Pater noster*, quod secrete complendo, ministrante eodem Presbytero assistente aspersorium, et elevantibus hinc inde assistentibus oras pluvialis, Episcopus stans aspergit ter super pannum nigrum, vel lecticam mortuorum: et reddito aspersorio Presbytero, et ab eodem accepto thuribulo, thurificabit eo modo, ter thuribulum ducens super pannum, vel lecticam, ministris oras pluvialis similiter elevantibus. Tunc accedent duo acolythi cum duobus candelabris et candelis accensis. et sistent ante pedes Episcopi, qui ex libro sibi per ministrum solitum in capite posito, leget Versiculum *Et ne nos etc.* et alios Versiculos, et orationem Missæ, pro qua nullus tunc genuflectet, et in fine repetet Versiculum *Réquiem ætérnam etc.* et cantores dicent *Requiescant in pace*, et Episcopus tunc producet signum crucis versus pannum: inde, depositis paramentis ubi fuerunt accepta, factaque oratione, discedit.

13. Si aderit in ecclesia lectus mortuorum, seu castrum doloris, et Missa celebrata sit pro anima alicujus Summi Pontificis, vel S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitanæ, aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, aut Domini loci, conveniens est, ut fiant absolutiones apud castrum doloris, tam ab ipso Episcopo celebrante, quam ab aliis quatuor Episcopis, vel Prælati, si adsint;

et in defectum Episcoporum, a quatuor primis Dignitatibus, vel Canonicis, ordine infrascripto: videlicet, finita Missa et sermone, si habitus sit, quatuor Prælati, seu Dignitates, vel Canonici præfati accedant ad sacristiam, vel alium locum convenientem et propinquum, ubi quilibet eorum accipiat super rochetum, vel super cottam, si sit Religiosus, amictum, stolam, et pluviale nigrum, ac mitram simplicem; si ea uti possint; sin minus biretum: et omnes, sic parati, conveniant apud Episcopum celebrantem paratum, ut supra, cum quo ibunt ad feretrum, seu castrum doloris, hoc ordine.

14. Præcedunt duo acolythi, unus cum thuribulo et navicula, et alius cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; tum duo alii acolythi cum duobus aliis candelabris et candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, paratus, deferens crucem; post eum Canonici parati, inde duo juniores Prælati, ac dein duo seniores, et quilibet eorum habebit penes se unum Capellanum, superpelliceo indutum, qui de mitra serviet, et unum scutiferum, qui cereum accensum portet; ultimo loco incedet Episcopus celebrans, inter duos assistentes, et ante eum Presbyter assistens indutus pluviali nigro, et alii Capellani cum cottis.

15. Cum pervenerint ad castrum doloris, seu locum destinatum pro absolutionibus faciendis, thuriferarius cum alio acolytho, deferente aquam benedictam, firmabunt se in capite loci a parte dextera; acolythi vero ceroferarii ac Subdiaconus cum cruce ibunt ad pedes loci; et Subdiaconus cum cruce collocabit se in medio eorum: nisi fiat absolutio præsentem corpore, seu cadavere, quo casu Subdiaconus cum cruce collocabitur ad caput Defuncti, quicumque ille sit, prout in Rituali Romano.

16. Junior Prælati sedebit in scabello in angulo castrum doloris ad pedem dexterum, alius post eum in angulo ad humerum sinistrum, tertius in angulo ad pedem sinistrum, quartus, qui erit senior, in angulo ad humerum dexterum. Celebrans vero sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita ut crucem directe semper respiciat.

17. Omnibus sic ordinatis, surget Celebrans, detecto capite, omnibus similiter surgentibus, Presbytero assistente ante pectus librum tenente, et incipiet in tono lectionis absolute orationem *Non intres in iudicium etc.*, qua finita, omnes sedebunt, coopertis capitibus, et cantores incipient Responsorium *Subvenite Sancti Dei etc.*; tunc duo acolythi cum thuribulo, et navicula, et aqua benedicta, et asper-

sorio, una cum Diacono accedent ad angulum dexterum capitis, ubi est dignior Prælatum, et se ad ejus dexteram collocabunt.

18. Incepto Versiculo *Réquiem ætérnam etc.* acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono naviculam, et dicente *Benedicite Reverendissime Pater*, imponet thus in thuribulum, more consueto, dicens *Ab illo benedicáris etc.* producens signum crucis super incensum thuribulo impositum. Cum per chorum dicitur primum *Kýrie eléison*, surgent omnes, detectis capitibus; et prædictus dignior Prælatum voce intelligibili dicit *Pater noster*, quod secrete complebit: et interim, accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, asperget lectum circumcirca, ambulans, incipiens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem; Diacono a dexteris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante: et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit; similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti.

19. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, reddit aspersorium Diacono, et is acolytho servienti de aqua benedicta: ac ibidem ab eodem capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens.

20. Cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans, dicit Versiculos *Et ne nos etc.* et alios Versiculos, et Orationem *Deus cui ómnia vivunt etc.* prout in Pontificali Romano.

21. Qua finita omnes sedent cum mitra, et cantores incipient Responsorium *Qui Lázarus resuscitásti etc.*; dum dicent Versiculum *Réquiem ætérnam etc.* ut supra, ministri accedent ad secundum digniorem Prælatum, sedentem in angulo ad sinistrum pedem, qui imposito thure, ut de primo dictum est, deposita mitra, surget; et dicto a choro *Kýrie eléison*, omnibus similiter surgentibus, dicit *Pater noster*, asperget, et thurificabit lectum, ut supra, et demum dicit Versiculos, et Orationem *Fac quæsumus Dómine etc.*, qua finita, omnes similiter sedebunt, et cantores cantabunt Responsorium *Dómine, quando véneris etc.* Tertius dignior Prælatum, sedens ad sinistrum humerum, servabit omnia, quæ superius primus et secundus servaverunt, et demum dicit Orationem *Inclína, Dómine, aurem tuam etc.* Qua similiter finita, quartus et junior Prælatum sedens in

angulo ad dexterum pedem, faciet similiter, et in fine dicet Orationem *Absolve, quæsumus Dómine etc. ut in resurrectionis glória etc.*

22. Demum cantato a choro Responsorio *Libera me Dómine de morte ætérna etc.*, Celebrans ipse, imposito thure in thuribulo, ut supra, dicto *Pater noster*, asperget et thurificabit lectum, prout de primo et aliis dictum est; et in fine, dictis Versiculis, dicet Orationem *Absolve, quæsumus Dómine etc. ut defunctis sæculo etc.* et responso per chorum *Amen*, ipse Episcopus dicet *Réquiem ætérnam etc.*; demum duo cantores dicent *Requiescant in pace etc.*

23. Quo dicto, receptis ab omnibus Prælatiis mitris, seu biretis, si mitris non utantur, omnes eo ordine, quo venerant, revertuntur ad sacristiam, vel alium locum deputatum, et ibidem depositis paramentis, quilibet recedit ad propria.

24. Si loco Prælatorum quatuor adsint tantum Canonici, solus Episcopus debet incensum benedicere; nec aderunt Capellani de mitra, et scutiferi qui ferant candelas; et tunc, cum quilibet facit suam absolutionem, deponet biretum in manibus cujusdam clerici, sicut et candelam. Si defunctus sit Episcopus, aut Prælati Sacerdos, et corpus sit præsens, faldistorium Episcopi celebrantis parabitur ad pedes ejus, non vero ad caput, ut in Rituali Romano; alias semper parabitur ad caput lecti, seu castri doforis.

CAPUT XII.

Missæ solemnæ pro Defunctis Episcopus assistere potest cum cappa, vel cum pluviali nigro, seu violaceo. Confessio ubi fiat. Sedes parata sit ex panno violaceo. Ad orationem, quo loco Episcopus genuflectat. Thurificatur post oblata a Presbytero assistente. Dicto *Sanctus*, ubi et quamdiu genuflectat. Quomodo procedatur ad sermonem, et ad absolutionem faciendam.

Si Episcopus noluerit celebrare, sed hujusmodi Missæ pro Defunctis, per alium celebratæ, interesse, eadem norma in omnibus servabitur, quæ expressa est in *capite præcedenti*; ipse vero Episcopus, cum cappa, vel cum pluviali nigro, seu violaceo, facta confessione cum Celebrante, ibit cum suis assistentibus ad sedem suam, quæ debet esse parata ex panno violaceo, non autem ex serico.

2. Cum Celebrans dicit *Dóminus vobiscum*, ante Orationem, Episcopus veniet ad faldistorium ante altare, ibi ad *Orémus* genu-

flectet capite detecto, sic manens usque ad finem Orationis. Qua finita, redibit ad sedem suam, et tunc, et non prius, Presbyter assistens ibit ad scabellum assistentiæ.

3. Ad Offertorium Episcopus, more solito ministrante naviculam Presbytero assistente, imponet thus in thuribulum, dicens *Per intercessionem etc.* et thurificatis Oblatis et altari, thurificabitur Celebrans a Diacono et Episcopus a Presbytero assistente, more solito.

4. Dicto *Sanctus etc.* Episcopus ibit ad faldistorium, ubi genuflexus, permanebit usque ad *Agnus Dei* exclusive, et tunc redibit ad sedem, et dicet *Agnus Dei etc.* cum suis assistentibus, non percutiendo pectus, nec fiunt in hac Missa circuli; et iterum ad Orationem post Communionem redibit ad faldistorium, et genuflectet, similiter omnibus genuflectentibus, quoties Episcopus genuflectet.

5. Finita Oratione, Episcopus redibit ad sedem, et non dabit benedictionem: nec publicabuntur Indulgentiæ.

6. Finita Missa, si sermo habendus sit, sermocinator accedet, et absque aliqua benedictionis petitione, facta tantummodo altari reverentia debita et Episcopo, ibit ad pulpitum, ubi sermonem recitabit. Quo finito, si Episcopus voluerit ipse absolvere, deposita cappa apud sedem, capiet amictum supra rochetum, sive supra cottam, si sit Regularis, crucem pectoralem et stolam, et demum pluviale nigrum et mitram simplicem, et omnia fient, quæ superius in *precedenti capite* dicta sunt. Si vero Episcopus absolvere ipse noluerit, vel hujusmodi Missæ non intersit, Celebrans, finita Missa, et lecto Evangelio secundum Joannem, faciet omnia, prout in *capite XXXVII. hujus lib. II.*

CAPUT XIII.

Quæ servanda in Vesperis et Missis solemnibus in Adventu Domini. Episcopus, si Missam solemnem celebret, paramenta apud sedem sumere potest. Subdiaconus Epistolæ, Diaconi assistentes, Diaconus Evangelii utantur planetis violaceis plicatis ante pectus. Color paramentorum Episcopi et Canonicorum sit violaceus. Episcopus in Missa non dicit *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*. Subdiaconus cantat Epistolam sine planeta. Diaconus item Evangelium, sed cum alia convoluta. Subdiaconus reasumit planetam, post cantatam Epistolam, Diaconus vero post communionem Episcopi. Quid præstandum ab Episcopo, si Missæ assistat. Paramenta in tertia Dominica Adventus violacea sint, sed sumptuosiora. Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella in Dominica quarta Adventus, si in ea occurrat Vigilia Nativitatis Domini.

In Vesperis et Missis solemnibus in singulis Dominicis Adventus, eadem omnia servabuntur, Episcopo celebrante, quæ superius expressa fuerunt, dum generaliter de his disseruimus, exceptis tamen infrascriptis.

2. Quia primum ecclesia, altare, et chorus simpliciore apparatu ornantur: item, celebrante Episcopo Missam solemnem, non erit opus paramenta sacra pro Missa sumere in sacello, seu secretario supra memorato, sed apud sedem suam, ubi cappa indutus, incipit Tertiam; et incepto primo Psalmo, sedet, accipit sandalia, legit Psalmos et Versiculos, ac orationes consuetas, et in fine cantat Orationem pro Tertia, Canonico Presbytero assistente, librum supra caput tenente in suo habitu canonicali.

3. Subdiaconus cantaturus Epistolam, paulo ante quam Episcopus in chorum veniat, capiet omnia paramenta sibi convenientia, præter manipulum et planetam ante plicatam, quæ capiet postea.

4. Diaconi assistentes capiunt sua paramenta, idest planetam ante plicatam supra cottam, vel rochetum circa finem Tertie, antequam Episcopus cantet Orationem, et cum eis Diaconus cantaturus Evangelium, qui accipit amictum, albam, cingulum et stolam.

5. Dum prædicti Diaconi assistentes parantur, assistunt Episcopo duo alii Diaconi, illis proximi, in suo habitu canonicali, et in eorum defectum, duo ultimi Presbyteri.

6. Finita Tertia, præfati duo Diaconi assistentes cum Diacono cantaturo Evangelium, jam parati, revertuntur ad Episcopum, dum lavat manus, ministrante Presbytero assistente in habitu canonicali.

7. Episcopus autem postquam laverit manus, more consueto, accipit paramenta consueta, quæ esse debent violacei coloris. Subdiaconus et Diaconus capiunt manipulos et planetas ante pectus plicatas, et tunc pariter omnes Canonici capiunt in suis locis paramenta, ipsis convenientia, ejusdem coloris.

8. Episcopus ante Orationem dicit *Dominus vobiscum*, non autem *Pax vobis*. Subdiaconus, dum Episcopus celebrans cantat ultimam Orationem, deposita planeta, accipit librum Epistolarum, et cantatam Epistola, osculataque manu Episcopi, planetam reassumit.

9. Diaconus, ante primum *Allelúja* post Graduale, deponit et ipse suam planetam, quæ convolvitur, vel alia jam convoluta et complicata super ejus sinistrum humerum ponitur, et sub ejus bra-

chio, stricte chordulis, ad id aptatis, colligatur, ne decidat, et sic permanet, quousque Episcopus sumpserit sacram communionem. Tunc reassumit planetam ante pectus plicatam, deposita alia, quæ erat super humerum sinistrum. Cetera omnia fiunt, prout in suis locis explicatum fuit.

10. Si vero Episcopus non celebret, sed intersit Missæ solemnæ, eadem observantur, quæ in *cap. IX. hujus lib. II. de Missa solemnæ*, quæ coram Episcopo celebratur, dicta sunt.

11. In tertia Dominica eadem observantur, nisi quod paramenta altaris et Celebrantis adhiberi solent aliquanto sumptuosiora, sed coloris violacei, in defectu rosacei; et ministri, videlicet Diaconus et Subdiaconus, utuntur dalmatica et tunicella; et idem in quarta Dominica, quando in ea inciderit Vigilia Nativitatis Domini; sed paramenta sint coloris absolute violacei. In Collegiatis pariter idem observatur.

CAPUT XIV.

Missæ solemnæ celebrandæ usus in Vigilia Nativitatis Domini, si occurrat in Dominica. Vesperæ solennes statis horis ea die peragendæ. Præparanda pro Matutinis et Missa in nocte Nativitatis. Matutinum quomodo celebrandum. Episcopus quando, et a quibus accipiet sandalia. Nonam lectionem cantat. Ubi induatur paramentis Missalibus, et Matutinum perficiat. Quid in Missa de nocte cantanda observare debeat.

In die Vigiliæ Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, sive venerit in Dominica sive alio die, celebrari solet Missa solemnæ in paramentis violaceis, juxta regulas in *præcedenti capite de Dominicis Adventus* traditas, hoc tantum excepto, quod Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella, prout in tertia Dominica Adventus.

2. Hora Vesperarum cantantur Vesperæ solennes pariter secundum regulas superius in *cap. I. hujus lib. II. et sequenti de Vesperis* positas.

3. Nocte sequenti, hora competenti, prout ab Episcopo fuerit præordinatum, celebrantur Matutinæ, prout in *capite V. ejusdem lib. II. de Matutinis* dictum fuit. Hæc tamen particularius in his Matutinis observanda erunt. Primo ultra luminaria solita altaris et abâci,

præparanda erunt sex vel octo funalia ceræ albæ, vel quot erunt necessaria pro consuetudine et dispositione loci ad illuminandum chorum et tribunam, seu presbyterium, quæ super totidem candelabris ferreis magnis, spatiis æqualibus inter se distantibus, collocabuntur; præparabuntur etiam aliquot parvæ candelæ albæ pro Episcopo et Canonicis cantaturis lectiones.

4. Super aliqua mensa separata ab abaco, collocari poterunt paramenta omnia pro Episcopo, Missam celebraturo, et pluviale album pulchrius pro eodem, cantaturo orationem in fine Nocturnorum. Sed si Episcopus non erit celebraturus primam Missam, non erunt ibi præparanda Missalia indumenta, sed tantum pluviale; nam alius, celebraturus Missam, sive Prælati, sive Canonicus, capiet paramenta in sacristia una cum suis ministris; sed celebraturo Episcopo, ipsi ministri, idest Diaconus et Subdiaconus, utique in sacristia parari poterunt: Presbyter autem assistens in loco suo una cum ceteris Canonicis in choro.

5. Item celebraturo primam Missam Episcopo, præintonatur Hymnus *Jesu Redemptor omnium etc.* quem, dum Episcopus repetit, elevat, et jungit manus, caput versus altare inclinans, ob reverentiam divinæ Incarnationis.

6. Cæremoniarius, quoties ducit aliquem Canonicum ante pulpitum, seu legile nudum, ubi cantare debet lectionem, gerat manibus parvam candelam, nec ab ipso legili longius discedat, donec cujusque Nocturni lectiones recitatæ fuerint.

7. In tertio Nocturno, cum dicitur a choro Psalmus *Misericordias Dómini etc.* si Episcopus est primam Missam celebraturus, duo ex suis scutiferis, clericali habitu indutis, sine cottis, subeuntes fimbrias cappæ Episcopalis, imponent illi caligas et sandalia, sublevantibus fimbrias in gyrum Capellani, seu acolythis, cottis superindutis ac genuflexis: interim accedunt duo Canonici assistentes ad Episcopum, necnon duo Capellani, alter de libro, alter de candela serviens; ac librum apertum ante Episcopum sustinent, ex quo ipse Episcopus legit Antiphonam *Ne reminiscáris Dómine etc.* et Psalmum *Quam dilécta etc.* cum ceteris Psalmis, Versiculis, et Orationibus, prout supra cap. VIII. hujus lib. II. §. VII. explicatum fuit. Quibus per Episcopum lectis, duo illi Canonici assistentes ac alii ministri recedunt.

8. Diaconus et Subdiaconus ministraturi in Missa, nisi quis eo-

rum vel ambo sint cantaturi lectiones ultimi Nocturni, præveniunt ad sacristiam, ubi capiunt sua paramenta. Advertatur tamen, ut tempus commode dispensetur, hoc est, ut finitis tribus Psalmis ultimi Nocturni a choro, pariter Episcopus se expediat a lectione Psalmorum et Orationum prædictarum; ut præsto sit ad absolutionem *A vinculis peccatorum etc.* dicendam, benedictionemque dandam Canonico cantaturo primam lectionem tertii Nocturni.

9. Cantata nona lectione per Episcopum, ad quem iterum duo assistentes Diaconi in suo habitu choralis debent accedere, et Hymno *Te Deum laudamus etc.* per eum inchoato, eo modo, quo in dicto *cap. V. lib. II. §. IX. de Matutinis* dictum fuit, Episcopus descendens paululum e sede, in plano solii pontificalis deponit cappam, et stans, lavat manus, accedentibus tunc, et adjuvantibus Diacono et Subdiacono paratis; et ab eisdem induitur paramentis Missalibus, et aliquanto celerius solito, præter chirothecas, et annulum, et tunicellam, ac dalmaticam, et planetam, cujus loco induitur pluviali; denuo sedem ascendit, ubi stans sine mitra, exspectat finem Hymni prædicti, qui decantari poterit prolixiori nota, et cum organi interpositione, ut commodius interim Episcopus et omnes Canonici indui possint suis paramentis. Quo finito, accedunt duo acolythi cum candelabris et cereis accensis, et medius inter eos, alter de libro serviens Episcopo, adhærente alio cum candela parva accensa, qui versus populum cantat *Dóminus vobiscum*, deinde versus altare *Orémus*, junctis manibus, deinde Orationem *Concéde quæsumus etc.* cum sua conclusione: et iterum repetito *Dóminus vobiscum*, dum chorus cum organo prosequitur lente *Benedicámus Dómino*, et *Deo grátias*, ipse, deposito pluviali, et stans, accipit tunicellam et dalmaticam, et sedens chirothecas; deinde stans planetam, et rursus sedens mitram pretiosam, et ultimo loco annulum, demum accedit ad infimum gradum altaris pro Missa inchoanda.

10. Quæ Missa in omnibus et per omnia celebratur, prout in prædicto *cap. VIII. hujus lib. II.* explicatum fuit, excepto, quod cum in Missa cantatur a choro Versiculus Symboli *Et incarnátus est etc.* Episcopus cum mitra apud sedem suam, et ceteri in propriis locis genuflectere debent usque ad terram, hac nocte et die sequenti in Missa majori, prout etiam in die Annuntiationis.

11. Episcopus vero non sumet purificationem, et in fine post benedictionem non dabit Indulgentiam, quia in tertia Missa, quam

omnino cantabit Episcopus in die, erit Indulgentia publicanda. Cetera omnia, ut in supradictis capitibus, tam celebrante, quam non celebrante Episcopo, respective erunt observanda.

12. In Laudibus tandem, quæ post hanc Missam solemniter cantari debent, serventur omnia, quæ in superiori *cap. VII. hujusmet lib. II.* præscripta leguntur.

CAPUT XV.

In festis a die Nativitatis ad Purificationem, major vel minor solemnitas servanda, juxta qualitatem festi. In die Circumcisionis Domini Episcopus Missæ intersit, paratus pluviali. In die Epiphaniæ, si poterit, ipse celebret. Hac die festa mobilia prænuntiantur post Evangelium. Servanda ab Episcopo in aliis festivitibus.

Festa, quæ occurrunt post diem Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi usque ad diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, celebrabuntur magis vel minus solemniter, prout Episcopo videbitur, juxta qualitatem festi et consuetudinem loci.

2. In die tamen Circumcisionis Domini, Episcopus debet interesse Missæ, paratus cum pluviali.

3. In die vero Epiphaniæ deberet ipse celebrare, si poterit, quod valde conveniens esset. Quo die, cantato Evangelio, aliquis Canonicus, vel Beneficiatus, aut alius, juxta consuetudinem loci, paratus pluviali, ascendet ambonem vel pulpitem, et ibidem populo publicabit festa mobilia anni currentis in forma, prout in Pontificali Romano.

4. In aliis vero festivitibus prædictis poterit Episcopus interesse cum cappa, vel prout ipsi melius videbitur, et omnia servabuntur, quæ superius expressa sunt in præcedentibus *cap. nempe VIII. hujus lib. II. de Missa solemniter per Episcopum celebranda, et IX. ejusdem libri de Missa, quæ coram Episcopo celebratur.*

CAPUT XVI.

Quæ præparanda pro benedictione candelarum in festo Purificationis. Paramenta sint coloris violacei. Ordo procedendi per Episcopum ad benedictionem. Diaconi et Subdiaconi planetis plicatis ante pectus utantur. Quo ritu Episcopus benedictionem faciat. Quis Episcopo candelam benedictam tradat. Quo ordine Episcopus candelas distribuat. Cantanda in ipsa distributione: Præmittenda ante processionem. Candelæ quando accendantur. Ordo processionis. Paramenta Episcopi et ministrorum pro Missa sint alba, nisi in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ Purificatio occurrat. Missa quomodo celebretur, assistente Episcopo. Quid servandum, si Episcopus ipse celebret.

Quia a Vigilia Nativitatis Domini nullæ occurrunt festivitates, quæ in Vesperis et Missis quoad cæremonias indigeant speciali declaratione, cum ex regulis in superioribus capitibus traditis et aliis generalibus, quæ in libro superiori abunde explicata fuerunt, sumi possint: videndum est de festo Purificationis beatæ Mariæ Virginis, in quo plura adhuc, neque in Missali, aut Pontificali Romano declarata, recensenda veniunt.

2. Præparanda igitur in primis erit candelarum ceræ albæ ea copia, quæ sufficiens videbitur pro ecclesiæ qualitate, ac Canonicorum, aliorumque de gremio ecclesiæ numero, nec non et pro laicis, quibus juxta consuetudinem ecclesiæ distribui soleant. Hæ omnes collocari poterunt super aliqua mensa inter altare et sedem Episcopi, ita ut Episcopus in sua sede stans, commode possit eas aspergere et thurificare post illarum benedictionem.

3. Paretur etiam abacus, juxta consuetum, a latere Epistolæ, super quo ponantur, ultra duo candelabra cum luninaribus, et alia consueta et ordinaria, quæ superioribus capitibus demonstrata fuerunt, nempe vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicula, vasa ad abluendum manus cum medulla panis, mantile ad extergendum, mappa altera linea pulchre laborata apponenda super gremio Episcopi, cum incipit candelas distribuere.

4. Super altari ponentur per sacristam paramenta pro Episcopo, suo ordine, coloris violacei, videlicet amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, pluviale et mitra simplex: ipsum vero altare habeat duo pallia, videlicet alterum album, et supra illud alterum violaceum, removendum post processionem; nisi festum venerit in Domi-

nicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, ut infra dicemus.

5. Deputentur custodes, qui populum arceant, si forte tumultuosius irrueret, nec indecenter Episcopum opprimat.

6. His præordinatis, hora competenti Episcopus in sua cappa a Canonicis associatus, veniet ad ecclesiam; et facta Oratione, accedet ad sedem suam, ubi deposita cappa, accipit paramenta supra dicta, suo ordine, afferentibus ea ab altari acolythis, seu ministris, cottis indutis; acceptoque pluviali et mitra, sedet. Interim Canonici omnes in locis suis stantes, seu in sacristia, si prope est, accipiunt sacra paramenta eis convenientia, prout superius declaratum fuit; eo excepto, quod Diaconi aut Subdiaconi non quidem dalmaticis et tunicellis, sed planetis ante pectus plicatis in hujusmodi officio utuntur, cum sit feriale; et si commode paramenta haberi nequeant pro omnibus Canonicis, quatuor, aut sex digniores saltem, induantur pluvialibus, ut ibidem dictum fuit.

7. Quibus paratis, Episcopus in dicta sua sede, deposita mitra, stans, benedictionem candelarum faciet, Capellano, qui ei de illo servit, librum sustinente manibus; incipiens competenti voce in tono feriali benedictionem dicit *Dóminus vobiscum*, cum Orationibus, prout in Missali, et respiciens aliquantulum versus candelas. Cum incipit ultimam Orationem, accedunt ad eum duo acolythi, unus cum thuribulo et navicula, alter vero cum vase aquæ benedictæ et aspersorio.

8. Finita benedictione, Episcopus, ministrante naviculam Presbytero assistente parato, qui tunc cum præfatis ministris accedit, imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito: deinde, accepto aspersorio de manu ejusdem assistentis, aspergit in medio, a dextris, et a sinistris ter candelas, et ab eodem accipiens thuribulum, simili modo ter illas thurificat; tum sedet accepta mitra, et dignior Canonicus paratus accipit de manu sacristæ sive camerarii candelam pulchre ornatam, et cum debita reverentia illam osculatam dat in manu Episcopi, quam pariter osculatur; Episcopus vero illam tradit alicui ex suis Capellanis tenendam prope altare.

9. Tunc elevatis hinc inde fimbriis pluvialis Episcopi per Diaconos assistentes, ponitur super ejus gremio per duos Capellanos mappa prædicta, et statim per Capellanos sive acolythos capiuntur de mensa, sive de manu camerarii aut sacristæ, aut alterius ad eam

curam deputati, candelæ grandiores pro Canonicis, et porriguntur ad manus Diaconi assistentis ad sinistram Episcopi, qui illas continuo ministrat Episcopo, eodemque tempore dignior ille Canonicus, pluviali indutus, facit reverentiam, primo altari, deinde Episcopo, ascendit ad eum, et accipit ab eo candelam, osculando illam et manum Episcopi reverenter: et tunc cantores incipiunt cantare Antiphonam *Lumen ad revelationem Géntium etc.*

10. Similiter, et alii Canonici parati ordine suo, accipiunt candelas: post eos Magistratus et Officiales majores civitatis, deinde alii Presbyteri, acolythi, et clerici de gremio ecclesiæ, et Capellani Episcopi, cottis induti: demum alii nobiles civitatis, nisi adesset laudabilis consuetudo, ut clerici omnes tam parati, quam cum cottis acciperent candelas ante laicos, quæ servanda esset, et familiares ipsius Episcopi, et alii de populo, quibus et quot Episcopo placuerit dare; non tamen mulieribus, quæ a seniore Dignitate, vel Canonico cum cotta et stola parato, seorsum illas accipiunt.

11. Sed Canonici parati non genuflectunt ante Episcopum quando capiunt candelas, sed tantum profunde inclinant: alii vero ecclesiastici cum cottis, et laici genuflexi, capiunt, et manum Episcopi cum candela osculantur.

12. Interim aliquis de Capitulo, ad quem spectat, si Episcopo placuerit, et sit consuetudo ecclesiæ, seorsum distribuit candelas minutiores populo utriusque sexus.

13. Finita distributione, Episcopus, portante lances nobili seu scutifero, lavat manus more solito, prout supra de Missa dictum fuit, et amovetur de ejus gremio mappa prædicta, et interim cantores cantant *Exsúrge Dómine etc.* cum Psalmo; et repetita Antiphona, ipse surget, deposita mitra, et versus altare cantat *Orémus*, et si fuerit post Septuagesimam, et non in Dominica, Diaconus assistens a dextris dicit alta voce *Flectámus genua*, et omnes genuflectunt; alter a sinistris *Leváte*, et omnes surgunt, et Episcopus cantat Orationem *Exáudi, quæsumus Dómine etc.* cum sua conclusione, prout in Missali, accedentibus acolythis cum candelabris, ut alias.

14. Qua finita sedet, et accipit mitram, et iterum imponit incensum in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente et acolytho, ut supra.

15. Interim accenditur candela Episcopi, quam tenet ejus cubicularius, seu Capellanus, ut supra, et pariter omnium aliorum;

maxime de clero, nisi a principio fuissent accensæ; et ordinatur per cæremoniarium processio circumcirca ecclesiam, vel alias juxta ritum ecclesiarum, in qua, post dictum a primo Diacono Assistente *Procedámus in pace*, alta et sonora voce versus populum, et responso a Choro *In nómine Christi. Amen*, ante crucem præcedit thuriferarius, et ante thuriferarium cantores; post thuriferarium duo acolythi cum candelabris et cereis ardentibus, et inter eos medius Subdiaconus, paratus planeta ante pectus plicata super albam sine manipulo, portans crucem; post crucem Beneficiati, et alii de clero cum cottis bini, et post eos Canonici parati, pariter bini; et mox Episcopus cum mitra, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, pluvialis latera elevantes, omnesque suas candelas accensas, manibus propriis deferentes; Episcopus suam candelam sinistra gerit, et dextera benedicit. Quod si erit Archiepiscopus, crux portabitur solummodo ante Canonicos tantum.

16. Interea, dum fit processio, Canonicus, aut alius Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono, capiunt sua paramenta convenientia, idest albi coloris; et Diaconus et Subdiaconus accipiunt dalmaticam et tunicellam; pariter mutantur paramenta altaris et sedis episcopalis, et amovetur abacus, et loco illius ponitur mensula, ut supra suo loco dictum fuit esse faciendum, non celebrante Episcopo.

17. Sed si hujusmodi Festum venerit in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, non mutantur paramenta altaris, nec Episcopi, sed remanent eadem violacea; et Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella, quia fit de Missa de Dominica, secundum regulam in Rubricis Missalis, sub hoc Festo positam, et candelæ amplius non accenduntur neque ad Evangelium, neque ad elevationem sanctissimi Sacramenti.

18. Finita processione, et Canonici chorum ingressi, deponunt paramenta, et candelas exstinguunt.

19. Episcopus vero, cum pervenerit ad altare, ante infimum gradum, si Missa fiat de festo, deponit pluviale et paramenta violacea, et accipit alba, et incipit confessionem, stans a sinistris ejus Celebrans, aliquanto retro ipsum Episcopum. Missa vero continuatur, prout in *capite IX. hujus lib. II. de Missa, quæ coram Episcopo celebratur*, excepto quod, dum inchoatur Evangelium, Episcopus et omnes capiunt suas candelas accensas in manibus usque ad finem Evangelii, et iterum ad elevationem sanctissimi Sacramenti eas te-

nent accensas usque post communionem; si vero fieret Missa de Dominica, ut supra, candelæ non accenduntur.

20. Sed si Episcopus vellet etiam Missam celebrare, quod convenit, præcipue si festum Purificationis sit Titulus Ecclesiæ, non removetur abacus, et Episcopus stans, incipit Tertiam, ut alias, deinde accipit caligas et sandalia, legit Psalmos *Quam dilècta etc.* et omnes Orationes sequentes; tum lavat manus, et deposito pluviali, cingulum album et stolam albam accipit, cingulo ac stola violaceis depositis, tum tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, mitram, anulum, et baculum pastorem, ut supra in *cap. XIV. §. IX. hujus lib. II. de Vigilia Nativitatis Domini etc.* Canonici etiam in reditu a processione debent eo casu, depositis paramentis violaceis, accipere alba, et illa retinere per totam Missam.

21. In reliquis, ut supra, et Missa celebratur cum cæremoniis et solemnitatibus, prout in *capite VIII. hujus lib. II. de Missa solemnium, Episcopo celebrante.*

CAPUT XVII.

In Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis, quæ præparanda pro benedictione candelarum in festo Purificationis. Quis benedictionem faciat. Candelæ quomodo distribuantur. Processio quomodo fiat. Candelæ quando accendantur.

Absente Episcopo, etiam in Collegiatis paretur altare, ut in *præcedenti capite* dictum est: candelæ vero benedicendæ collocentur in cornu Epistolæ super aliqua parva mensa: ibidem ponatur vas cum aqua benedicta et aspensorio, ac thuribulum cum navicula et incenso; et hora competenti, idest, dicta Tertia, Canonicus hebdomadarius, sive Dignitas, vel alius ad quem de consuetudine Ecclesiæ celebrare spectat, paretur in sacristia amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali violaceo, una cum duobus aliis Canonicis habitu diaconali et subdiaconali ejusdem coloris indutis, excepto manipulo, videlicet cum planetis plicatis ante pectus; et considentibus omnibus aliis Canonicis habitu canonicali indutis, hinc inde in locis suis, una cum Beneficiatis, seu Mansionariis, et clericis, accedet dictus Canonicus celebraturus cum ministris, et transeundo, salutatur hinc inde chorum, ac inde, facta reverentia altari cum genuflexione, si ibi aderit sanctissimum Sacramentum, sin minus cum profunda capitis inclinatione, ascendet ad altare, et ibidem in cornu Epistolæ stans, assisten-

tibus Diacono et Subdiacono, benedicet candelas, prout in Missali, et finita ultima Oratione, Celebrans, ministrante Diacono, imponet thus in thuribulum; quo imposito, accipiet de manu ejusdem Diaconi aspersionum cum aqua benedicta, et candelas asperget; et mox accepto thuribulo, triplici ductu illas thurificabit. Quo facto, retrahat se ante medium altaris, renes eidem vertens, et stabit medius inter Diaconum et Subdiaconum.

2. Tunc primus Sacerdos de choro, sive Vicarius, sive Dignitas, vel Canonicus, accepta una ex candelis benedictis, illam cum debita reverentia deosculatam dabit in manu Celebrantis, qui illam tradet alicui Capellano tenendam; et statim ministrante Diacono, ipse Celebrans stans, incipiet distribuere candelas, primo eidem digniori, deinde Diacono et Subdiacono paratis, si sint Canonici; mox aliis omnibus Canonicis per ordinem, habitu canonicali indutis, qui bini accedant ad Celebrantem, et inclinati, ab eo candelas accipient, quas acceptas deosculabuntur.

3. Beneficiati vero, seu Mansionarii, et Clerici, et ceteri omnes similiter bini accedent, et genuflexi candelas accipient, illas ac etiam manus Celebrantis deosculantes.

4. Cum inchoatur distributio candelarum, cantores incipient Antiphonam *Lumen ad revelationem Gentium etc.*

5. Circa finem distributionis Magister Cæremoniarum curet, ut accendantur candelæ pro processione, quæ fiat per ecclesiam, ut in *præcedenti capite* dictum fuit: et interim, dum fit processio, removeatur paramentum violaceum ab altari, et remaneat album, nisi hujusmodi festum venerit in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, quo casu fiat, ut dictum est in *capite præcedenti*.

6. Finita processione, Canonici chorum ingressi, extinguunt candelas, et Celebrans, qui stat medius inter Diaconum et Subdiaconum, ante infernum gradum altaris, facta debita reverentia altari et choro, retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi deposito pluviali capiet planetam albam, seu violaceam, juxta regulam superius traditam, similiter et ministri dalmaticam et tunicellam ejusmodi coloris, et inchoabitur Missa, quæ juxta solitum perficietur, in qua hoc solum erit speciale, quod Canonici, et ceteri de choro, dum cantatur Evangelium, accendunt candelas, et illas accensas tenent usque ad finem Evangelii, et iterum ad elevationem usque post communionem.

CAPUT XVIII.

Præparanda pro benedictione cinerum in feria quarta initio Quadragesimæ, Episcopo celebrante, vel non celebrante, sed præsentē. Quid observandum, si publice penitentes expellendi sint. Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis plicatis ante pectus. Ordo procedendi ad Ecclesiam, et benedicendi cineres, cæntandi Orationes, et imponendi singulis eosdem cineres. Oratores Regum et Principum, post Canonicos paratos cineres accipiant. Magistratus et laici post omnes de clero. Impositione cinerum expleta, Episcopus lavat manus, et Orationem cantat. Missæ hujus diei quomodo Episcopus assistat; quoties, ubi, et quando genuflectat. Quæ observanda, si Episcopus velit solemniter celebrare.

Quarta feria ante primam Dominicam Quadragesimæ, quæ, a Cinerum aspersione, *Cinerum* appellatur, quia officium et Missa est de feria, altare, et tribuna, et omnia simplicius parantur, quam in festis solemnioribus; et si Episcopus non sit Missam celebraturus, nulla paratur mensa sive abacus a cornu Epistolæ, ut alias, sed tantum parva mensula a latere Evangelii, ubi ponuntur vasa pro abluendis manibus, cum mica panis, mappa pro abstersione manuum, et altera ponenda super genibus Episcopi in distributione cinerum; vas autem aquæ benedictæ cum aspersione et thuribulum cum navicula poterunt poni super angulo altaris; et super eodem altari in medio ponitur parvum vas argenteum cum cineribus mundis ex ramis olivarum, benedictis anni præteriti, combustis: item paramenta pro Episcopo suo ordine coloris violacei, prout in die Purificationis beatæ Mariæ Virginis, ita ut dictum vas non cooperiant, nec impediunt.

2. In ecclesiis, ubi viget consuetudo expellendi solemniter penitentes, servetur forma in Pontificali Romano posita, præsertim in casibus gravioribus.

3. Hora competenti Canonicus celebraturus Missam cum Diacono et Subdiacono capiunt paramenta violacea. Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis ante pectus plicatis, et expectantes adventum Episcopi, sedent in aliquo scamno pro ipsis parato, ac viridi panno cooperto a latere Epistolæ; cui adveniēti assurgunt, et faciunt reverentiam, Canonicus celebrans videlicet, caput profunde inclinando, ministri vero genuflectentes, si non sint Canonici.

4. Episcopus associatur more solito ad ecclesiam, factisque

consuetis orationibus, stans apud sedem suam, accipit paramenta eodem ordine, quo in die Purificationis beatæ Mariæ Virginis dictum est; et pariter omnes Canonici capiunt sua, prout ibi dictum fuit.

5. Quibus paratis, Subdiaconus, qui est cantaturus Epistolam in Missa, sive alius ex Beneficiatis ecclesiæ, paratus planeta vio-
facea, ante pectus plicata, accedit ad altare cum debitis reverentiis; et capit vas illud cum cineribus, ambabus manibus, quod elevatum portat ante Episcopum, ubi genuflexus, illud retinet usque in finem distributionis, ad dexteram Episcopi.

6. Tum Episcopus, accedente Capellano cum libro, et altero cum candela, assistentibus Diaconis, hinc inde, legit sedens Antiphonam *Exáudi nos, Dómine etc.* qua cum Psalmo repetita, deposita mitra surgit, et manibus junctis, dicit *Dóminus vobiscum, O-rémus* ac Orationes benedictionis cinerum, quæ sunt quatuor, prout in Missali.

7. Quibus finitis, et jam ante eum stantibus, Presbytero assistente parato, et acolythis cum thuribulo, navicula, et aspersorio cum aqua benedicta, imponit incensum in thuribulum, more solito aspergit, et thurificat cineres triplici ductu.

8. Tum sedet sine mitra, et sine bireto: et Canonicus celebraturus Missam, solus accedit ad eum, facta altari et Episcopo reverentia; et imponit cineres in caput ipsius sedentis, dicens *Meménto homo, quia pulvis es etc.*

9. Quo facto, Episcopus accipit mitram, et extenditur super eius gremio mappa munda per duos acolythos, et imponit cineres eidem Canonico celebranti, ante se inclinato, dicens *Meménto homo etc.* ut supra. Celebrans, acceptis cineribus, sine osculo manus Episcopi, revertitur ad suum locum.

10. Tunc incipiunt venire omnes Canonici parati ad capiendos cineres, eodem modo, incipiendo a dignioribus, cum debitis reverentiis altari et Episcopo; et chorus incipit *Immutémur hábitu etc.* cum sequentibus.

11. Si quis Prælati alii supra Canonicos stare vel sedere soleat, ei dabit Episcopus cineres stanti; si aliquis Princeps, vel Orafores Regum, vel Principum maximorum, aut Rerumpublicarum liberarum laici adessent, capiunt hac die cineres post Canonicos

paratos: Magistratus vero, et Officiales, ac alii laici post omnes de clero.

12. Quod sic observatur hac die et feria sexta in Parasceve in adoratione crucis, ut ibi dicitur, ex antiqua laudabili ecclesiastica disciplina, propter humilitatem, quæ in hoc actu repræsentatur iis diebus. Ideoque promptius libentiusque laicis in his cedere debent omnino ecclesiastici, prout etiã respective observatur per Imperatores, Reges, et Principes in capella Sanctissimi Domini Nostri Papæ.

13. Prælati, et Canonici parati, capiunt cineres inclinati: reliqui vero, tam clerici quam laici, genuflexi; et omnes sine osculo manus, cum commode osculum exhiberi nequeat in hoc actu.

14. Datis cineribus, Episcopus sedens, in eodem loco, lavat manus, more solito; mox deposita mitra, surgit, et cantat manibus junctis, *Dóminus vobiscum*, *Orémus*, et Orationem *Concede nobis, Dómine etc.* ad quam more solito veniunt duo acolythi cum candelabris et cereis accensis, et finita Oratione, discedunt.

15. Quibus expeditis, si Episcopus non est celebraturus Missam, prout regulariter hac die non solet, Canonici omnes deponunt sua paramenta; Episcopus autem retinebit sua paramenta, quod magis conveniens est, vel illa deponet, et accipiet cappam, prout magis libuerit, observans tamen regulam superius traditam; et descendens de sua sede, faciet confessionem cum Celebrante; qua finita, revertitur ad suam sedem, ubi statim cum ministris et cæremoniis solitis imponit incensum in thuribulum, et thurificatur altare per Celebrantem, et mox ipse Celebrans.

16. Tum Episcopus legit Introitum ex libro, et dicit *Kýrie eléison*, cum Canonicis in circulo stantibus; et Celebrans in Missa dicit tres Orationes, prout in Missali, in æquali cantu feriali: et antequam dicatur *Dóminus vobiscum*, ante primam Orationem, Episcopus descendet e solio ad faldistorium, in quo, simul ac eo pervenerit, deposita mitra, genuflectet ad *Orémus*, omnibus pariter cum eo genuflectentibus, exceptis Celebrante, Diacono et Subdiacono, qui in hac Missa non genuflectunt, nisi ad Versiculum *Adjuva nos Deus, etc.* ut infra dicitur. Dicta ultima Oratione, Episcopus surgens, et accepta mitra, redit ad sedem suam, et iterum antequam inchoetur Versiculus *Adjuva nos Deus, etc.* descendit ad faldisto-

rium, et genuflectit, retenta mitra, sic manens usque ad finem versus, genuflectentibus etiam Celebrante ac ministris altaris.

17. Quo versu dicto, et non prius, Diaconus cum solitis ministris, deposita jam planeta plicata, et eadem, vel alia jam involuta et complicata super sinistrum humerum, et super stolam posita, et sub ejus brachio stricte chordulis colligata, ne decidat, accedit ante ultimum gradum sedis Episcopi, et ab ipso sedente petit benedictionem pro Evangelio recitando; quo finito, Episcopus deosculatur textum Evangelii, sibi a Subdiacono delatum, et adhuc stans sine mitra, a Presbytero assistente thurificatur.

18. Tunc accedit, qui sermonem vel concionem habiturus est, et petit benedictionem et Indulgentias ab Episcopo; et alia fiunt prout in *cap. XXII. lib. I. de concionibus et sermonibus* explicatum fuit.

19. Finita Præfatione, et dicto per Episcopum cum Canonicis ad circulum venientibus *Sanctus, Sanctus, etc.* iterum Episcopus descendit ad faldistorium, et ibidem genuflectit et deponit mitram, sic manens usque ad *Per ómnia sæcula etc.* ante *Pax Dómini etc.*, et tunc mitratus revertitur ad sedem suam, et iterum deposita mitra, dicit *Agnus Dei*, cum Canonicis, qui similiter veniunt ad circulos. Subdiaconus in hac Missa sustinet patenam, prout in aliis Missis, et Diaconus et Subdiaconus cantaturi Evangelium et Epistolam respective, deponunt planetam et osculantur manum Episcopi, prout in Dominicis Adventus.

20. Post Communionem, antequam Celebrans dicat *Dóminus vobiscum*, Episcopus iterum descendit ad faldistorium, permanens genuflexus, ut supra, ad omnes Orationes, quæ post Communionem dicuntur. Dicta ultima post Communionem, Diaconus vertit se ad populum, et dicit Versiculum *Humiliáte cápita vestra Deo*, Episcopo et aliis genuflexis manentibus et capita inclinantibus: finita ultima Oratione, Episcopus cum mitra revertitur ad sedem suam, et ibidem dat benedictionem solemnem more solito.

21. Quæ dicta sunt superius circa genuflexiones ad Orationes et post Præfationem, servabuntur in omnibus aliis Missis ferialibus, tempore Quadragesimæ et Vigiliarum, præsentè Episcopo.

22. Si vero Episcopus vellet hac die solemniter celebrare, finita Oratione post cinerum aspersionem, sedet aliquantulum, et mox surgens sine mitra, incipiet *Deus in adjutórium etc.* pro Nona; et

cum inchoatur Psalmus *Mirabilia testimonia tua etc.* sedet cum mitra, et legit Psalmum *Quam dilecta etc.*, et interim imponentur eidem sandalia, Canonicis et aliis omnibus remanentibus paratis.

23. Finita Nona, ut alias, Episcopus lavabit manus cum cæremoniis consuetis, prout finita Tertia in aliis Missis, per ipsum celebrandis; et dum lavat manus, accedet Presbyter assistens cum pluviali, et adjuvabit, incipiendo servire Episcopo in officio assistentiæ. Lotis manibus, Diaconus Evangelii et Subdiaconus parati usque ad planetam exclusive absque manipulis, induent Episcopum paramentis Missalibus, adjuvantibus duobus Diaconis assistentibus, cum planetis plicatis ante pectus.

24. Parato Episcopo, Diaconus et Subdiaconus capient planetas plicatas et manipulos pro Missa, et fiet processio ad altare, et inchoatur Missa, in qua omnia servantur, quæ in *cap. VIII. hujus lib. II. de Missa solemnè, Episcopo celebrante*, explicata sunt, exceptis his, quæ hac die particulariter faciendæ sunt, ut supra narratum est.

25. Ante primam Orationem Episcopus non dicet *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*, et cum dicitur Versiculus *Adjuva nos Deus etc.* Episcopus genuflectet, non in faldistorio, sed apud sedem suam. In reliquis omnia fient, ut supra explicatum est, et prout dicitur in dicto *cap. VIII. de Missa solemnè, Episcopo celebrante*.

CAPUT XIX.

In Collegiatis, et absente Episcopo, Feria quarta Cinerum, Celebrans et ministri, ubi et quibus paramentis induantur. Quæ præparanda ab acolythis super altare. Ordo benedicendi cineres et eos singulis imponendi.

Eadem omnia, quæ superius in *præcedenti capite* expressa sunt, exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent, præparentur et servantur, absente Episcopo, et in ecclesiis Collegiatis, paucis infrascriptis mutatis.

2. Nam Celebrans parabitur cum ministris in sacristia, et accedet ad altare cum debitis reverentiis, ut dictum fuit in *cap. XVII. hujus lib. II. de festo Purificationis B. Mariæ Virginis, absente Episcopo*.

3. Ministri vero erunt hac die, tam in benedictione cinerum

quam in Missa cum planetis plicatis, quas, quando tempus erit, in Missa deponent, et reassument, juxta regulas traditas in *capitibus* de Dominicis Adventus et de Dominicis Quadragesimæ.

4. Vas cum cineribus collocabitur super altare a latere Epistolæ, vas autem cum aqua benedicta et aspersione, ac thuribulum cum navicula et incenso, ponentur in angulo altaris super parva mensa. Celebrans, stans in cornu Epistolæ, benedicet cineres, prout in Missali, et imponet incensum, et illos asperget aqua benedicta, et thurificabit, prout de candelis dictum fuit. Et similiter, finita benedictione, medius inter Diaconum et Subdiaconum stabit, et Diaconus tenebit vas cum cineribus.

5. Tunc accedit dignior Sacerdos de choro, et cineres Celebranti, capite inclinato, imponet, dicens *Meménto homo, quia pulvis es etc.* et statim Celebrans eidem digniori stanti, capite similiter inclinato ante ipsum Celebrantem, cineres imponet; mox Diacono et Subdiacono paratis, si sint Canonici, et ceteris Canonicis per ordinem; qui omnes in habitu canonicali, capite inclinato, stantes, a Celebrante cineres accipient; Beneficiati, seu Mansionarii, et clerici, et ceteri omnes, genuflexi.

6. Finita distributione, Celebrans, deposito pluviali, lavabit manus private in angulo altaris, et statim, accepta planeta in plano ad cornu Epistolæ, incipiet et prosequetur Missam, prout in Missali, servatis circa genuflexiones, ad Orationes, et ad Versiculum *Adjuva nos Deus etc.* omnibus, quæ in *præcedenti capite* expressa sunt.

7. Post Evangelium fiet sermo, seu habebitur concio, nulla tamen petita per sermocinatum benedictione.

CAPUT XX.

Quæ observanda sint in Dominicis Quadragesimæ circa altarium, ecclesiarum, ministrorum ornatum, cæremonias Missæ et cantum.

In Dominicis Quadragesimæ eadem omnia servantur, tam circa ornatum ecclesiæ et paramenta altaris ac ministrorum, quam circa cæremonias in Missa, quæ superius expressa fuerunt in *cap. XIII. hujus lib. II. de Vesperis et Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio, præsentem Episcopo, celebrandis.*

2. Quæ autem ibidem dicta sunt de Dominica tertia Adventus, circa paramenta altaris et ministrorum, observantur eodem modo in quarta Dominica Quadragesimæ.

3. Ad primas autem Vesperas Dominicæ, quæ de Passione dicitur, cooperiantur, antequam officium inchoetur, omnes cruces et imagines Salvatoris Nostri Jesu Christi per ecclesiam; et super altare nullæ ponantur imagines Sanctorum.

4. Cantores vero ab hac Dominica Passionis usque ad *Gloria in excelsis Deo Sabbati Sancti*, excepto hymno angelico feriæ quintæ in Cœna Domini, utantur cantu Gregoriano vel figurato polyphono.

CAPUT XXI.

Ordo Officii in Dominica Palmarum. Altaris ornatus qualis esse debeat. Præparanda pro benedictione palmarum. Quis earum ornatus. Ordo in benedictione et distributione earum servandus. Palma Episcopo, a quo et quomodo tradenda. Ordo processionis et Missæ hujus diei. Numerus, et munus eorum, qui cantaturi sunt Passionem. Quomodo assistentes ad Passionem stare debeant. Ritus cantandi verba *Altera autem die* in tono Evangelii.

Officium in Dominica Palmarum, hoc est benedictio et distributio illarum, ac deinde processio, simile est fere in omnibus officio, quod fit in die Purificationis beatæ Mariæ Virginis, in benedictione et distributione candelarum, et demum in processione. Remissius tamen a quanto hac die paratur altare et tribuna, quam illa.

2. Præparentur igitur in mensa apud altare et sedem Episcopi, ut de candelis dictum fuit, palmæ seu rami olivarum benedicendi, inter quos, si palmæ haberi non possent, ornentur et aptentur aliquot ex dictis ramis olivarum, flosculis, et parvis crucibus de palmarum foliis compositis, ut speciosiores ceteris appareant, pro Episcopo, Canonicis, et Magistratibus; et saltem palmæ perquirantur pro Episcopo, Prælati, et majoribus Magistratibus, aut aliquibus magnis viris, si aderunt. Abacus quoque a latere Epistolæ, ea omnia, quæ in dicta die Purificationis beatæ Mariæ Virginis enumeravimus, continens, accommodetur.

3. Super altari etiam ponentur eadem paramenta pro Episcopo, eodem ordine, ut ibi dictum fuit: ante altare pallium violaceum, Custodes etiam, si opus erit, adhibeantur, qui populi pressuram cohibeant.

4. Episcopus hora competenti, eodem modo et ordine, cum cappa veniet ad ecclesiam, orabit, ascendet ad sedem suam, capiet paramenta, et pariter Canonici, prout ibidem latius explicatum fuit. Quibus expeditis, cantatis Epistola et Evangelio, prout in Missali, ab iis ministris, qui in Missa ministraturi sunt; et iis omnibus, quæ cantantur ab Episcopo in sua cathedra sedente, lectis, adhuc stans in sua sede sine mitra, incipiet benedictionem palmarum, manibus junctis, dicens *Dóminus vobiscum*, Capellano librum sustinente; deinde cantans Orationes, et in tono feriali incipiens ab ea, videlicet *Auge fidem etc.* tum Præfationem, et alias quinque Orationes sequentes.

5. Cum dicitur quinta Oratio, videlicet *Deus, qui per olivæ ramum etc.* accedunt duo acolythi, unus cum thuribulo et navicula, alter cum vase aquæ benedictæ et aspersorio, ad Episcopum cum debitis reverentiis; qui, dicta per eum sexta Oratione, videlicet *Benedic, quæsumus Dómine etc.* imponit thus in thuribulum, cum solita benedictione aspergit palmas, et thurificat, ministrante Presbytero assistente parato, ut ibi; tum adhuc stans eodem vocis tono dicit *Dóminus vobiscum*, et septimam Orationem, videlicet *Deus, qui Filium tuum, etc.* qua completa, sedet, et accipit mitram.

6. Tunc dignior ex Canonicis præbet ei palmam pulchriorem, acceptam de manibus sacristæ, vel alterius ad id deputati, osculando palmam et manum, quam Episcopus tradit tenendam alicui suo Capellano: nec refert, an dicta palma pro commoditate Episcopi sit brevior, vel longior ceteris, dummodo sit pulchrior ornatu: ponitur deinde mappa per acolythos ex abaco allata, super gremio Episcopi quam ipsi hinc inde genuflexi, tenent usque ad finem distributionis palmarum; et elevantur hinc inde fimbriæ pluvialis ipsius per Diaconos assistentes. Episcopus tunc incipit palmas distribuere Canonicis et aliis eodem ordine, prout de candelis dictum fuit, et chorus tunc incipiet Antiphonam *Púeri Hebræorum etc.*

7. Finita distributione, Episcopus more consueto lavat manus, accedunt ad eum duo acolythi ceroferarii cum candelabris, ac cereis accensis; ipse vero, deposita mitra, surgit, et cantat ex libro *Dó-*

minus vobiscum, deinde Orationem ultimam, videlicet *Omnípotens sempitérne Deus etc.*

8. Qua finita, sedet, accipit mitram, ponit thus in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente et acolytho; et dicto per primum Diaconum *Procedámus in pace*, ordinatur per cæremoniarium processio circum Ecclesiam eodem ordine, prout ibi dictum fuit, et omnes gerunt suas palmas in manibus; Episcopus autem illam sinistra defert, et dextera benedicit. Exire debet processio extra portam ecclesiæ; et antequam crux processionis ingrediatur dictam portam, præveniunt aliqui cantores, illam ingredientes, et mox claudentes, et versus ipsam processionem cantantes Versiculum *Glória, laus, et honor etc.* respondentibus aliis cantoribus extra portam, prout traditur in Missali.

9. Cantatis omnibus Versiculis, vel eorum parte, prout tempus et occasio postulabit, Subdiaconus portans crucem tangit cum illius hasta portam, quæ statim aperitur, et processio ingreditur, choro cantante Antiphonam *Ingrédiénte Dómino etc.*

10. Interim Canonicus, Missam celebraturus, cum Diacono et Subdiacono debent esse parati: et remota mensa, Canonici, ingressi chorum, deponunt paramenta et palmas, quas resumunt, dum cantatur Passio et Evangelium.

11. Proceditur ad Missam, et omnia observantur, prout in dicta die Purificationis beatæ Mariæ Virginis dicitur, sive celebraturus sit Episcopus, sive non, ut ibi.

12. Differentia erit tantum, quod Diaconus et Subdiaconus hac die utuntur planetis ante pectus plicatis, et observant regulam, illas deponendo et accipiendo, prout supra in *cap. XIII. hujus lib. II. de Vesperis et Missis in Dominicis Adventus*, dictum fuit.

13. Cum Subdiaconus in Epistola pronuntiabit verba illa *Ut in nómine JESU omne genu flectátur*, Episcopus et omnes usque ad terram genuflectunt, et permanent genuflexi usque ad illa verba *Et infernórum inclusive*.

14. Tres, qui Passionem sunt cantaturi, dum cantatur Epistola et Tractus, parantur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei, in sacristia; et circa finem Tractus procedunt a sacristia hoc ordine.

15. Antecedit cæremoniarium, tum ille, qui Evangelistæ personam agit, portans sibi librum, deinde, qui Turbarum, ultimo, qui

Christi, sequentibus tribus Capellanis cum cottis sine candelabris, et sine incenso; et factis altari et Episcopo debitis reverentiis, accedunt ipsi tres ad osculum manus Episcopi, eodem ordine; nullam tamen petunt benedictionem; deinde descendunt ad locum, ubi cantant Passionem versus cornu Evangelii, seu in pulpito, secundum consuetudinem ecclesiarum. Et Capellani tres antedicti stant contra illos, quorum qui est medius, tenet librum, quem inter se mutant æquali spatio, dum recitatur Passio, prout cæremoniarius eos prius admonuit, et in ipso actu, cum tempus est, eisdem significat nutu.

16. Cum Passio inchoatur, Celebrans cum suis assistentibus legit Passionem, tenens palmam in manibus, et stans in cornu Epistolæ: et Episcopus et omnes surgunt, detecto capite, palmas manibus tenentes usque ad finem Passionis, in qua, dum recitatur *Jesus autem exclamans voce magna, emisit spiritum*, Episcopus in sua sede et omnes in suis locis genuflectunt, etiam ipsi cantores et Capellani; deinde surgunt, et is, qui Evangelistam agit, perficit suam lectionem, iisdem comministris astantibus, ut prius; qua finita, Episcopus sedet et accipit mitram, deposita palma.

17. Tum Diaconus Evangelii, deposita planeta, eaque sive alia duplicata super humerum sinistrum posita et sub brachio dextero colligata, portat librum ad altare, mox vadit ad osculum manus Episcopi, ducente cæremoniaro, et revertitur ad altare, dicens genuflexus *Munda cor meum, etc.*

18. Interim Episcopus, ministrante acolytho vel cæremoniaro, ac Presbytero assistente, imponit incensum more consueto.

19. Diaconus cum libro ante pectus, præcedentibus thuriferario et duobus acolythis sine candelabris, subsequente Subdiacono, petit benedictionem, incensat librum, et cantat Evangelium *Altera autem die etc.*

20. Ad elevationem solus Episcopus tenet palmam: cetera fiunt, ut in aliis Missis.

CAPUT XXII.

Altaris ornatus ac cereorum numerus et qualitas pro Matutinis tenebrarum. Archiepiscopus et Episcopus quomodo ad Ecclesiam accedant pro peragendis Matutinis tenebrarum. Ordo inchoandi Matutini, dicendarum Lectionum, et extinguendi cereos in triangulari candelabro. Quando et quomodo abscondatur extremus cereus trianguli. Quomodo terminetur Matutinum. Episcopus extremam Orationem dicit. Fragor quando fiat. Sedes Episcopi, altare, tota tribuna et pavementum in his tribus Matutinis sint denudata. Qua hora hæc officia perficienda sunt.

Post Dominicam Palmarum nullæ occurrunt solemnitates, quæ indigeant speciali declaratione ante officium tenebrarum: nam licet tertia et quarta feria celebrari soleat Missa solennis, et infra eam decantari Passio Domini Nostri Jesu Christi, celebrabitur secundum ritum et cæremonias, quæ observari solent in diebus ferialibus, prout superius declaratum fuit, præsentem, vel absente Episcopo.

2. Passio autem recitabitur, prout in præcedenti Dominica dictum fuit, tam quoad habitum et numerum ministrorum, quam quoad alias cæremonias.

3. Ipsa vero quarta feria hora vigesima prima, vel circa, Episcopus veniet cum cappa ad ecclesiam, sequentibus Canonicis: et ingrediens ecclesiam cooperit sibi caput caputio cappæ; et si erit Archiepiscopus, non defertur crux ante eum in Matutinis horum trium dierum.

4. Ecclesia autem, tribuna, altare et sedes Episcopi poterunt remanere parata, prout fuerunt Dominica præterita, seu aliquanto parcius vel remissius, et a latere Epistolæ ponitur candelabrum triangulare, accommodatum ad sustinendos quindecim cereos ceræ communis, singulos ponderis unius libræ, vel circa: qui paulo ante adventum Episcopi accenduntur simul cum cereis altaris, ex eadem cera communi.

5. Episcopus, factis solitis orationibus, sibi ipsi trahens cappæ caudam per terram, accedit ad suam sedem, nullo sibi tunc Canonico assistente, sed tantummodo aliquibus Capellanis cum cottis circa eum stantibus. Quod si magis placeret accedere ad chorum apud Canonicos, esset laudabile.

6. Postquam Episcopus aliquantulum quieverit in sua sede, surgit, surgentibus omnibus, et detecto capite, dicit versus altare secrete *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*, usque ad finem: tum sibi ipse caput tegit eodem caputio, et sic stat, quousque ad ejus nutum chorus dixerit Antiphonam *Zelus domus tuæ etc.*, qua finita et incepto Psalmo, sedet, et Capellani aptant fimbrias cappæ; similiter Canonici et alii omnes sedent.

7. Finito quolibet Psalmo, Cæremoniarius, vel aliquis Capellanus accedit, cum debitis reverentiis et cum instrumento apto ad extinguendum, ad candelabrum triangulare, et exstinguit cereum in illius extremitate positum a latere Evangelii; deinde in fine alterius Psalmi alterum ab alio latere, et sic successive alternatim ab utroque latere, singulos cereos exstinguit in fine cujuslibet Psalmi, tam primi quam sequentium Nocturnorum et Laudum.

8. Finita Antiphona tertii Psalmi in quolibet Nocturno, post Versiculos Episcopus surgit, surgentibus omnibus, caput detegit, et finito Responsorio, dicit secrete totum *Pater noster*, ut prius; quo finito, tecto capite sedet, sedentibus omnibus.

9. Tunc cantores accedunt, cum debitis reverentiis altari et Episcopo, ad legile præparatum in medio chori, seu ad locum consuetum, secundum consuetudines ecclesiarum, et ibi cantant Lamentationes, quibus finitis, ac factis reverentiis altari et Episcopo, recedunt.

10. Lectiones secundi et tertii Nocturni cantant vel ipsi cantores, vel Canonici pro more ecclesiarum, incipiendo a junioribus, singuli singulas.

11. Ad *Benedictus* Episcopus surgit, detecto capite, surgentibus omnibus, et cum dicitur Versiculus *Ut sine timóre etc.*, cæremoniarius seu aliquis Capellanus cum instrumento apto exstinguit singulatim ad quemlibet Versiculum singulos cereos altaris, alternatim incipiendo a cornu Evangelii, et pariter omnia alia luminaria, si qua sunt per ecclesiam, exstinguuntur, præterquam ante sanctissimum Sacramentum, ita ut in fine *Benedictus* reperiantur omnia extincta.

12. Cum repetitur Antiphona post *Benedictus*, cæremoniarius, sive alius Capellanus, removet ex candelabro triangulari unicum cereum accensum, in summitate trianguli positum, eumque accensum, elevata manu, sustinet super cornu Epistolæ altaris; et cum inchoatur *Christus factus est pro nobis etc.* illum sic accensum abscondit retro Altare, vel alio modo.

13. Episcopus autem, dum prædicta Antiphona repetitur, descendit a sede, et dum inchoatur *Christus factus est etc.* genuflectit super faldistorio præparato ante altare, omnibus genuflectentibus, et postea chorus incipit sub silentio *Pater noster*, mox Psalmum *Miserere mei Deus etc.* modulata, sed flebili voce.

14. Quo finito, Episcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex libro, vel memoriter recitat clara voce Orationem *Réspice, quæsumus etc.* usque ad *Qui tecum* exclusive, quod secreta complet.

15. Qua Oratione finita, cæremoniarius manu scabellum seu librum percutiens, per breve spatium, strepitum fragoremque facit, et a ceteris similiter fit, donec cæremoniarius cereum prædictum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat, quo prolato, omnes cessare debent a strepitu.

16. Finito strepitu, Episcopus et omnes surgunt, et recedunt eodem modo et ordine quo venerant.

17. Eadem servantur in duobus sequentibus Matutinis tenebrarum; hoc tantum excepto, quod altare, sedes episcopalis, et tota tribuna, ac pavementum sint penitus denudata: poterit tamen in sede Episcopi adhiberi pulvinar, pro ejus commoditate, si voluerit; et advertatur, ut officium perficiatur hora tarda, hoc est, sole occidente.

CAPUT XXIII.

Quæ præparanda sint pro Missa et Officio feriæ quintæ in Coena Domini. Sacellum pro recondendo sanctissimo Sacramento, et altare, quomodo ornandum. Quo ordine Episcopus ad ecclesiam hac die procedat. Altera ex duabus Hostiis consecratis, quando et quomodo reponatur. Communio generalis totius cleri fiat. Ritus genuflectendi apud altare post Communionem, et perficiendi Missam hujus diei. Ordo inchoandæ processionis, ponendi incensum in thuribus, tradendi per Diaconum sanctissimum Sacramentum in manibus Episcopi. Quomodo in processione procedatur, et sanctissimum Sacramentum collocetur. Benedictio episcopalis quando danda. Si Episcopus non celebret, ille tamen sanctissimum Sacramentum ad præstitutum sacellum deferat.

Quia hac die plura occurrunt officia in Ecclesia Dei peragenda, scilicet, Pœnitentium reconciliatio, Oleorum consecratio, Missa, processio, ac repositio sanctissimi Sacramenti, ac demum Mandatum; subjungimus ea tantum, quæ ad Missam, proces-

sionem sanctissimi Sacramenti, et Mandatum pertinent; cetera namque in Pontificali late explicantur, unde sumi possunt.

2. Præparandum igitur ornandumque erit aliquod sacellum intra ecclesiam, quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post Missam hujus diei recondendum sit sanctissimum Sacramentum: et in eo altare cum sex candelabris ac cereis.

3. Præparetur etiam baldachinum album perpulchrum, thuribula duo cum navicula, velum unum parvum pro Sacramento, alterum magnum et amplum, quod circum humeros Episcopi ponetur, dum Sacramentum portabit; et ambo hæc vel sint sericea, vel aureata, aut pulcherrime ornata; calix item amplior et pulchrior ceteris, ubi sacratissima hostia reponetur; funalia, seu candelæ ceræ albæ in numero sufficienti pro Canonicis et clericis; una inter eas picta et ornata pro Episcopo, quam unus ex suis Capellanis vel scutiferis deferat in processione, accendendæ: item duæ hostiæ consecrandæ; item vas argenteum seu aureum cum multis particulis consecrandis, pro communicandis Canonicis et clero.

4. Summo mane Episcopus, si ipsemet erit celebraturus, veniet ad ecclesiam ordine consueto cum cappa, associatus a Canonicis, parabitur in sacristia vel secretario, ut alias; et interim, dum dicitur Nona; capiet sandalia, leget Psalmos sine *Glória Patri*, et in fine cum dicitur a choro *Christus factus est etc.* genuflectet ante altare, et finito Psalmo *Miserére mei Deus etc.* genuflexus, dicit Orationem *Réspice quæsumus Dómine etc.*, mox redibit ad sedem, deponet cappam, lavabit manus, accipiet paramenta alba, ut alias; et cum eo parabuntur Canonici; et perficiet, si volet, ea, quæ supra dicta sunt, secundum Rubricas Pontificalis Romani circa reconciliationem Pœnitentium et Oleorum consecrationem; procedetque in Missa cum solitis cæremoniis, et prout in Missali Romano, et ut dicitur in *capite VIII. hujus lib. II. de Missa solemni etc.*

5. Paulo ante communionem, cæremoniararius vel aliquis Capellanus portat ex abaco ad altare supradictum calicem magnum vacuum, et dicta duo vela; sumptaque communionem Corporis et Sanguinis, antequam se purificet Episcopus, reponet sanctissimum Sacramentum in Calice; quem Diaconus palla et patena desuper posita, ac demum velo serico cooperit, et in medio altaris collocat re-

6. Deinde antequam purificet, communicat primum Diaconum et Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, et alios Sacerdotes de ecclesia; qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent, et denique omnes de clero, eo modo et forma, prout latius explicatur in *cap. XXIX. hujus lib. II. de Missa in die Paschæ per Episcopum celebranda, et Communione generali*. Sed hodie Diaconus et Subdiaconus assistentes, et ceteri Canonici parati, faciem Episcopi celebrantis non osculantur.

7. Finita communionem, Episcopus se purificat, et abluit digitos, et facta reverentia cum genuflexione sanctissimo Sacramento, retrahit se extra cornu Epistolæ, versa facie ad populum, ubi lavat manus sine mitra: et eundo et redeundo ad altare, semper usque ad terram genuflectit ante sanctissimum Sacramentum: et dum vertit se ad populum dicturus *Dóminus vobiscum*, non utique in medio altaris vertit renes Sacramento, sed in latere Evangelii.

8. Dicto *Ite Missa est*, Episcopus sine mitra stans in latere Evangelii, et non perficiens circulum dabit benedictionem solemnem, sed Indulgentiæ publicantur in loco, ubi reponitur sanctissimum Sacramentum.

9. Cum Episcopus post Missam dicturus erit Evangelium *In principio erat Verbum etc.* nullum signum faciet super altari, ut alias; quo finito retrahens se ad suam sedem deponit sacras vestes usque ad stolam exclusive, et accipit pluviale album.

10. Interim alter Subdiaconus accipit crucem velatam velo violaceo, acolythi sua candelabra cum cereis accensis, Canonici parati accipiunt cereos accensos, et digniores ex Beneficiatis, sive ex Mansionariis parati pluvialibus, capiunt hastas baldachini.

11. Episcopus, accepto pluviali et mitra, stans, ponit incensum in duo thuribula absque benedictione, et sine osculo manus Episcopi, ministrante Presbytero assistente, ut alias.

12. Quo facto redit ad altare, ubi, nudo capite, genuflexus super pulvino, accepto altero ex dictis duobus thuribulis ab assistente Presbytero, incensat sanctissimum Sacramentum triplici ductu, dum imponitur super ejus humeros velum, et firmatur spinulis: et Diaconus assistens, et non alius, cum debitis reverentiis capit sanctissimum Sacramentum de altari, et illud, stans, offert Episcopo genuflexo, sine reverentia versus Episcopum, et sine osculo. Sed postquam illud in manibus Episcopi reliquit, genuflectit: Episcopus

vero cum Sacramento surgit, et statim cantores incipiunt Hymnum *Pange lingua gloriósi etc.* Ministri assistentes hinc inde elevant fimbrias anteriores pluvialis. Cæremoniarus vero, vel aliquis Capellanus, dum Episcopus ascendit et descendit per gradus, elevat extremitatem vestis interioris a parte anteriori; et nobilior laicus, vel alius, juxta consuetudinem loci, qui adest, sublevat pluviale a posteriore parte.

13. Episcopus intrat sub baldachinum portans sanctissimum Sacramentum devòte. Canonici parati cum intorticiis præcedunt ordine solito; cum pervenerint ad sacellum, ubi Sacramentum deponi debet, relinquitur extra illud baldachinum, et cantores, in cantu pio et devoto, cantant *O salutáris Hóstia etc.* vel *Tantum ergo Sacraméntum etc.* donec Sacramentum fuerit per Episcopum repositum et incensatum. Cum Episcopus erit ante supremum gradum altaris, Diaconus accipiet de manu ipsius stantis sanctissimum Sacramentum, genuflexus, sine osculo manus, quod deponet super altari in loco præparato, cooperiens velo undique calicem: et interim Episcopus paulo retrocedens, stans, imponet incensum in altero ex thuribulis, et rursus genuflexus, Sacramentum incensabit triplici ductu, et clauso ostiolo per Diaconum assistentem, Episcopus ascendens altare, eodemque cum genuflexione deosculato, dabit benedictionem solemnem, stans sine mitra in latere Evangelii, accepto baculo pastorali, dum dicit *Pater, et Filius etc.* et Presbyter assistens tunc publicabit Indulgentias quadraginta dierum, more solito. Demum Episcopus eodem ritu processionali redit ad sedem in choro, ubi ipse et Canonici deponunt paramenta, et dicuntur *Vesperæ*; quibus finitis, denudantur altaria et omnia, et deinde fit Mandatum ut in *sequenti capite*.

14. Quod si Episcopus, necessario impedimento præpeditus, non celebraret hanc Missam, sed illi per alterum celebratæ interesset paratus, ut alias, saltem non omittat portare sanctissimum Sacramentum in processione, quo casu Canonici accipient paramenta in fine Missæ; et demum, reposito Sacramento, accedere ad Mandatum, et lavare pedes pauperum vel Canonicorum, ut infra.

CAPUT XXIV.

Quæ paramenta ordinanda sint pro Mandato, seu lotionem pedum. Circa personas, quæ lavandæ sunt, servetur usus ecclesiarum. Præparanda pro ipsa lotionem. Qui lavandi erunt, vestibus albi coloris induti sint. Ordo cantandi Evangelium per Diaconum. Lotionem quomodo ab Episcopo fiat. Observanda post lotionem. Si laventur pedes Canonicis, quo habitu ii induti esse debent.

Hora competenti Episcopus accedit ad locum præparatum pro Mandato, ubi induitur amictu, alba, cingulo, stola, pluviali coloris violacei, et mitra simplici. Diaconus autem et Subdiaconus, qui in Missa ministrarunt, eidem assistent cum paramentis albis, quibus præter manipulos parati erunt antequam Episcopus ad Mandati locum accedat, præsentibus etiam Canonicis et Capellano cum cruce archiepiscopali, si Celebrans erit Archiepiscopus, ibique parati sint pauperes, quibus lavandi sunt pedes.

2. Sed quia circa hoc diversi sunt ritus ecclesiarum; alicubi enim in usu est, vestire sumptibus Episcopi vel Capituli tredecim pauperes, eosdemque cibo et potu reficere, et mox suo tempore eisdem pedes lavare et eleemosynam præbere: alibi, Episcopi lavant pedes tredecim ex suis Canonicis; ideo relinquetur hoc faciendum juxta consuetudinem ecclesiarum, vel arbitrio Episcopi, si maluerit pauperibus lavare, etiam in locis, ubi sit consuetudo lavandi Canonicis; videtur enim eo pacto majorem humilitatem et caritatem præferre, quam lavare pedes Canonicis.

3. Si igitur lavandi erunt pedes tredecim pauperibus, præparabuntur in ecclesia, ubi magis conveniret, seu in aula capitulari, vel alio loco consueto et idoneo, infrascripta, videlicet faldistorium, seu sedes pro Episcopo in capite aulæ, abacus, seu mensa capax, mappa nitida superposita cum duobus candelabris et cereis albis ardentibus, erunt super ea plures pelves, seu lances argenteæ, si haberi poterunt, cum urceis, aqua aliquantulum calida impendendis, et ad minus duo; alia lanx similis cum tredecim mappulis ad extergendos pedes, et alia cum pecuniis pro eleemosyna pauperibus donanda, pro unoquoque æquali portione divisis; item linteam, quo Episcopus præcingi debet; vas cum aqua calida, et aliud cum frigida: vasa etiam cum mantili pro lavandis manibus Episcopi

post lotionem pedum; thuribulum cum navicula et incenso per acolythum tenendum; vas cum carbonibus accensis: ipsa mensa jam dicta, ac vasa, et totus ille locus floribus et herbis odoriferis aspergatur.

4. Præparetur etiam pulpitum, seu legile pallio serico seu auri-phrygiato coopertum, super quo liber Evangelii ponatur, cum illud cantandum erit, a latere sinistro Episcopi, et aliud nudum pro cantoribus; liber Evangeliorum, liber pro Episcopo, repagula pro Episcopo, ne opprimatur; scamnum oblongum et præaltum a dexteris, panno viridi coopertum, super quo sedebunt pauperes tredecim jam dicti, novis vestibus albi coloris induti, dexterum pedem denudatum habentes.

5. His omnibus præparatis, Episcopus, finitis Vesperis, vel a prandio, prout Episcopo commodius et melius videbitur, paratus, ut dictum est, cum suis ministris illuc accedit; sedit in sua sede, vel faldistorio, sibi parato. Tunc acolythus cum thuribulo et navicula ad eum accedet; et Episcopus, ministrante Presbytero assistente naviculam, imponit incensum in thuribulum, et benedicit, more solito: quo facto, Diaconus, ut supra, gerens ante pectus librum Evangeliorum, accedit cum Subdiacono, et duobus ceroferariis ante Episcopum; a quo genuflexus, si non est Canonicus, simul cum aliis jam dictis, petit benedictionem, dicens *Jube domne etc.* cui Episcopus respondet *Dóminus sit in corde tuo etc.* Diaconus, benedictione accepta, surgit cum comministris suis, accedit ad locum Evangelii cantandi, et posito libro Evangeliorum super legili, quem Subdiaconus a tergo ambabus manibus retinet; et si erit Archiepiscopus, Capellanus crucem tenens, stabit prope ipsum Diaconum, facie crucifixi versa ad Archiepiscopum. Duo ceroferarii stabunt hinc inde a lateribus legili, faciebus ad Diaconum cantantem versis. Tunc Diaconus dicit cantando *Dóminus vobiscum*, signat, incensat, et cantat Evangelium, more solito, videlicet *Ante diem festum Paschæ etc.*

6. Quo finito, Subdiaconus portat librum Evangeliorum apertum, osculandum Episcopo, nullam ei reverentiam faciens, nisi post Evangelium deosculatum. Acolythy ceroferarii, factis debitis reverentiis, reportant tunc candelabra ad abacum, et amovetur legile. Diaconus, capto thuribulo de manu thuriferarii, incensat Episcopum, stantem in sua sede cum suis solitis assistentibus hinc inde,

triplici ductu; mox recedit cum Subdiacono ad partem; et cantores tunc incipiunt et prosequuntur Antiphonam *Mandatum novum do vobis etc.* prout in Missali.

7. Episcopus deponit pluviale, et accipit linteum ex abaco allatum per aliquem Capellanum, quo præcingitur; et retinens in capite mitram simplicem, accedit ante primum pauperem, et genuflexus super pulvino, quem cæremoniarius, sive aliquis Capellanus continuo trahit, afferentibus pelves et urceos scutiferis, clericali habitu indutis, lavat illi pedem dexterum, quem lotum tergit et osculatur, tradens ei eleemosynam; idem facit successive singulis. Scutiferi autem si tot erunt, singuli pro singulis pauperibus serviunt; si pauciores, mutantur per vices.

8. Lotis omnibus, revertitur Episcopus ad sedem suam, ubi lavat manus, scutifero altero seu nobili ante eum lancem cum urceo portante cum solitis cæremoniis. Et illico adsunt duo ceroferarii cum candelabris et cereis accensis, cæremoniaro eos ducente ante Episcopum, qui deposito linteo, et accepto pluviali, ac deposita mitra, surgit, et dicit voce intelligibili *Pater noster*, quod secrete complet usque ad Versiculum *Et ne nos etc.* quem alte pronuntiat, respondentibus cantoribus *Sed libera nos a malo*, deinde Versiculos et Orationem prout in Missali.

9. Quibus finitis, Episcopus alte elevans manum, facit signum crucis versus omnes existentes in dicta aula, nihil dicens; et statim deponit sua paramenta, prout pariter ejus ministri, et recedunt.

10. Si Canonici erunt, quibus lavandi sunt pedes, sedebunt in dicto scamno in eorum habitu canonicali, denudatis pedibus dexteris, et Episcopus eodem ordine lavabit illis pedes, terget, et osculabitur, prout de pauperibus dictum est, incipiendo a digniori, sed non datur eleemosyna; in ceteris serventur omnia suprascripta. Absente vero Episcopo, et in Collegiatis, serventur Rubricæ Missalis.

CAPUT XXV.

Præparanda pro officio feriæ sextæ in Parasceve, Episcopo celebrante. Altaris ornatus. Paramenta Episcopi et ministrorum sint nigri coloris. Ordo procedendi ad Ecclesiam. Expleta Nona, Episcopus induitur paramentis Missalibus nigris. Orat diutius super nudo genuflexorio ante altare. Quomodo assistat Lectionibus et Passioni. Diaconi munus circa ea, quæ dicenda sunt in tono Evangelii. Sermo quando habendus sit. Episcopus ubi cantet Orationes. Altare quomodo ornandum. Ordo detegendæ Crucis, et procedendi ad ejus adorationem. Processio ad accipiendum calicem cum sanctissimo Sacramento, quomodo ordinetur. Quæ observanda in loco, ubi repositum est sanctissimum Sacramentum, in ipsa processione, et apud altare. Incensum quomodo ministretur. Ordo dicendi *In spiritu humilitatis*: *Oráte fratres: Pater noster*. Quomodo facienda elevatio hostiæ, atque ea sumenda sit. Cetera quo ordine fiant.

Si Episcopus velit ipsemet celebrare in die Parasceve, serventur infrascripta; videlicet, altare, sedes Episcopi, sedilia Canoniorum, et aliorum, ac tota tribuna sint penitus denudata.

2. In abaco mappa superponatur, sed a nulla parte pendeat, ubi erit tantum pelvis cum urceo ad lavandas manus, et alia ad recipiendum pecunias; quæ cruci offeruntur; in ipso et in altari candelæ ex cera communi extinctæ super candelabris sint, sed nullæ imagines aut alia ornamenta super altari collocentur, præter crucem et candelabra, et hæc non sint argentea.

3. Præparetur pannus, vel tapes oblongus, seu pannus violaceus, extendendus suo tempore pro adoratione crucis; magnus item pulvinus, ex serico villosio violaceo auroque factus, ubi crux erit ponenda, et velum album, serico violaceo intertextum, super eo explicandum; faldistorium nudum, super quo Episcopus ante altare genuflectat.

4. Paramenta autem Missæ erunt nigri coloris, et pro Diacono et Subdiacono planetæ ante pectus plicatæ; et pluviale ejusdem coloris pro Presbytero assistente.

5. Hora competenti Episcopus veniet ad ecclesiam cum sua cappa, associatus more solito, ut in Matutinis hujus hebdomadæ: orat ante sanctissimum Sacramentum et altare majus, et intrat secretarium, ubi pariter altare et omnia nuda, præter crucem velatam, et cerei extincti super ea; ibi cum cappa ascendit ad sedem suam nudam, ibidem præparatam; et stans, detecto capite versus altare

dicit secrete *Pater noster*. Quo finito, Chorus recitat Nonam. Incepto primo Psalmo, Episcopus sedet: interim Canonici, Evangelium et Epistolam cantaturi, capiunt sua paramenta, præter manipulum et planetam, et sic in albis remanent, donec erit tempus parandi Episcopum.

6. Cum dicitur in fine Nonæ *Christus factus est etc.* Episcopus genuflectit ante Altare super faldistorio nudo, capite detecto, et finito Psalmo *Miserere mei Deus etc.* dicit genuflexus Orationem *Réspice, quæsumus Dómine etc.*, mox revertitur ad dictam sedem, deponit cappam, et sedens, lavat manus, more solito. Deinde per Diaconum et Subdiaconum paratur solitis paramentis, exceptis sandaliis et chirothecis, quibus hodie non utitur: dicit orationes solitas ad paramenta, non tamen Psalmum *Quam dilécta etc.* cum aliis. Episcopus et omnes utuntur paramentis nigris, si haberi possint, et deficientibus nigris, coloris violacei.

7. Cum Episcopus incipit parari, Canonici pariter capiunt paramenta convenientia, prout suo loco dictum est. Diaconi habeant planetas ante pectus plicatas, et Canonicus Presbyter, digniori Presbytero proximus, servit hac die Episcopo in assistentia cum pluviali nigro. Episcopus paratus sedet aliquantulum; Diaconus et Subdiaconus capiunt manipulos et planetas ante pectus plicatas.

8. Si erit Archiepiscopus, præcedet Capellanus cum cruce velata inter duos ceroferarios cum candelis extinctis, et sine incenso, et præcedentibus clero ante crucem, et post crucem Canonicis paratis, procedet ad altare more solito. Si non erit Archiepiscopus, non portatur crux.

9. Episcopus ante altare procumbit, et genuflexus super nudo genuflexorio, deposita mitra, diutius orat, quod et omnes alii faciunt: et interim extenditur per acolythos, aut cæremoniaros, mappa super altari.

10. Postquam Episcopus oraverit, surgit, osculatur altare, reassumpta mitra, sedet super nuda cathedra seu faldistorio posito in cornu Epistolæ altaris, ita ut faciem vertat ad cornu Evangelii. Neque hac die umquam sedet in sede sua episcopali in hoc officio, nisi in fine, ut infra.

11. Presbyter assistens sedet super primum gradum ad pedes Episcopi, et post eum in eodem gradu Diaconus et Subdiaconus, et prope ipsos duo alii Diaconi assistentes, ubi solent assistere.

12. Tunc unus ex Beneficiatis cotta indutus, comitante cæremoniario, cum debitis reverentiis, sibi ipsi librum tenens, dicit primam Prophetiam sine titulo, in loco, ubi legitur Epistola, et sine osculo manus Episcopi.

13. Qua finita, relinquit librum in manu cæremoniarum, et factis debitis reverentiis, revertitur ad locum suum. Episcopus vero, dum Tractus cantatur, legit ex libro dictam Prophetiam sine candelâ accensa, ministris tamen assistentibus circa eum stantibus.

14. Finito Tractu, Episcopus surgit, et omnes surgunt: amovetur faldistorium, et stans ibidem versus altare, dicit *Orémus*, et Diaconus post Episcopum dicit *Flectámus génua*, et omnes genuflectunt, excepto Episcopo; Subdiaconus vero post Diaconum dicit *Levâte*, et omnes surgunt: et Episcopus dicit Orationem.

15. Interim Subdiaconus deponit planetam, et portans, et tenens librum, cantat Epistolam, sive alteram Prophetiam in loco jam dicto; qua finita, absque osculo manus, resumit planetam, et redit ad locum suum. Episcopus sedet, et dum cantatur Tractus, legit Epistolam et Tractum, servientibus sibi solitis ministris.

16. Dum per chorum cantatur Tractus, tres Capellani, seu Cantores, qui Passionem sunt cantaturi, parantur in sacristia in habitu diaconali, præter dalmaticam, prout in Dominica præterita dictum fuit, coloris tamen nigri; et circa finem Tractus, procedunt eodem ordine cum tribus Capellanis sine candelabris et incenso, et cantant Passionem, prout ibi dictum fuit, sed non osculantur manum Episcopi.

17. Episcopus et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt, et stant, detecto capite, usque ad ejus finem: et Episcopus apud altare in cornu Epistolæ legit secrete ex libro, super altare posito, Passionem usque ad finem, versus aliquantulum ad ipsos cantantes, et ministri sacri stant juxta Episcopum, dum legit Passionem, pro situ loci in plano, ordine suo.

18. Cum autem cantores pervenerint ad ea verba *Et inclinâto capite trâdidit spiritum*, Episcopus et omnes in locis suis genuflectunt, sic parumper manentes, vel orantes, et surgente Diacono, seu Cantore, qui Evangelistæ personam gerit, omnes surgunt, stantes, et audientes reliquum Passionis, usquequo legendum sit in tono Evangelii. Tunc Episcopus et omnes sedent, et Cantores, qui cantaverunt Passionem, cum debitis reverentiis discedunt.

19. Tunc Diaconus Evangelii, deposita planeta et accepta altera complicata super humerum sinistrum, portat librum ad altare, dicit genuflexus *Munda cor meum etc.*, reassumit librum, et vadit cum Subdiacono et duobus acolythis sine luminibus et sine incenso, et nulla petita benedictione, cantat reliquum Passionis in tono Evangelii. Quo finito, Diaconus cum aliis, qui secum erunt, factis debitis reverentiis, revertuntur ad loca sua.

20. Tunc, si sermo est habendus, ducitur sermocinator in habitu convenienti ante Episcopum per cæremoniarium, qui genuflexus petit Indulgentias absque benedictione, et cum debitis reverentiis vadit ad pulpitum, et habet sermonem. Episcopus tunc sedet in eodem cornu Epistolæ, sed versus ad sermocinantem; alii omnes, sedente Episcopo, sedent. Statim, finito sermone, sermocinator pronuntiat Indulgentias ab Episcopo concessas.

21. Non fit confessio, nec absolutio, nec datur benedictio, sed statim Episcopus surgit, deposita mitra, et remota cathedra, et stans in eodem loco cantat ex libro Orationes, ut in Missali. Diaconus dicit *Flectâmus gênuâ*, Subdiaconus vero *Levâte*, advertendo, ubi dicendum erit, prout in Missali.

22. Finitis Orationibus, Episcopus deponit planetam apud faldistorium: et interim, dum dicuntur ultimæ Orationes, ministri extendunt tapete magnum, vel pannum violaceum ante gradum altaris, vel presbyterii, et super primos ejus gradus ponunt pulvinar amplum, et super eo velum, seu mappam sericeam, ut supra, ubi ponenda erit crux.

23. Episcopus, deposita planeta, vadit ad angulum posteriorem cornu Epistolæ, facie ad populum versa. Tunc sacrista capiens crucem de medio altaris illam porrigit Diacono, qui eandem dat Episcopo, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius summitatem usque ad transversum crucis, et ambabus manibus illam elevans, voce gravi cantat *Ecce lignum Crucis*, secundum notas, in Missali Romano appositas, Presbytero assistente librum tenente; quod cum dicit, omnes, detecto capite, surgunt: cæremoniarium et alii Capellani, qui circa altare manent, prosequuntur in cantu verba *In quo salus mundi pepéndit*, et chorus respondet *Verîte, adorémus*, quo casu omnes genuflectunt, excepto Episcopo celebrante. Idem secundo facit, et cantat Episcopus discooperiendo brachium dex-

terum crucis, et caput figuræ crucifixi, procedens ad anteriorem partem anguli prædicti; et tertio discooperiendo totam crucem ante medium altaris, semper altius vocem extollendo, et idem respondetur per Capellanos et chorum, ut prima vice: et pariter, ad illa verba *Veníte, adorémus*, semper omnes genuflectunt.

24. Quibus peractis, ipse Episcopus celebrans, solus absque ministris procedit ad locum, ubi est positum pulvinar antedictum, portans crucem, ambabus manibus, elevatam devote, nullam tunc altari faciens reverentiam, et firmat chordulis, si opus est, supra dictum pulvinum, adjuvante cæremoniario, qui paulo ante ponere debet prope ipsum pulvinum lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ cruci offeruntur, ponantur.

25. Deinde Episcopus redit ad suum faldistorium, ubi, ministrantibus scutiferis, deponit calceos; et sic, detecto capite, descendit ad crucem adorandam, medius inter duos Diaconos assistentes, et gradiens per dictum tapete, seu pannum, ter cum debita distantia genuflectit ante crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando; et demum crucem osculatur: prius tamen offert, seu offerre facit in lancem, ibi positam, pecunias ad libitum.

26. Postquam Episcopus adoravit crucem, revertitur ad suum faldistorium in cornu Epistolæ, reassumit calceamenta, et planetam, et mitram, et sedens legit impropéria, ministrantibus solitis Capellanis.

27. Interim Canonici, et alii Beneficiati, et de clero ecclesiæ, ordine eorum, deinde Officiales et nobiles laici adorant ordine, prout in die Cinerum pro capiendis cineribus dictum fuit; quod si fortasse adesset Gubernator principalis, aut aliquis maximus vir, vel Princeps, qui alias soleat habere honorem ante Canonicos, in hoc actu ibit post Canonicos, sed ante alios de clero, quia est actus humilitatis, in quo laici debent clericis deferre.

28. Circa finem adorationis accenduntur cerei altaris, abaci et tribunæ. Diaconus cum Subdiacono explicat mappam lineam super altari. Diaconus portat ex abaco corporalia cum purificatorio, quæ extendit super altari: tunc enim transfertur a ministro vel cæremoniario Missale ad cornu Evangelii cum cussino vel legili. Finita adoratione, Diaconus reportat, nemini faciens reverentiam, crucem ad altare, omnibus genuflectentibus, ut supra.

29. Episcopus sedens lavat manus, et imponit thus in thuribulum, more solito.

30. Interim ordinatur processio ad accipiendum sanctissimum Sacramentum de loco, ubi pridie repositum fuerat, eaque de causa jam præparata esse debent decem, seu ad minus octo funalia ceræ albæ, item baldachinum, et duo thuribula cum incenso et igne. Præcedet Subdiaconus paratus cum cruce denudata, inter duos cæroferarios, cereos accensos deferentes, et sequuntur primo Clerici et Beneficiati, seu Mansionarii, deinde Canonici bini, secundum eorum ordinem; videlicet primo juniores, deinde digniores, tum Diaconus et Subdiaconus cum Presbytero assistente, ultimo loco Episcopus cum mitra, medius inter Diaconos assistentes; et si fuerit Archiepiscopus, crux portabitur ante Canonicos: et cum discedunt, Episcopus, deposita mitra, et omnes reverentiam faciunt cruci cum genuflexione.

31. Cum Episcopus pervenerit ante fores sacelli, ubi est repositum sanctissimum Sacramentum, deponit mitram, et statim ingressus sacellum, genuflectit, et ante altare iterum genuflectit super pulvino, et orat parumper: mox surgit, et stans, imponit incensum, ministrante Presbytero assistente, in duo thuribula, nihil dicens; et rursus genuflexus super pulvino, incensat triplici ductu sanctissimum Sacramentum, sacrista aperiente capsulam, ubi includitur: et statim apponitur velum perpulchrum circa humeros Episcopi, et acubus firmatur, ut æqualiter hinc inde pendeat: tunc primus Diaconus assistens accipit sanctissimum Sacramentum de dicta capsula, illudque in manibus Episcopi, adhuc genuflexi, reverenter collocat, et statim genuflectit. Episcopus capit calicem, ubi est Sacramentum, velo ut pridie coopertum, ambabus manibus, velo, quod circum humeros habet, coopertis, et surgens illud portat reverenter sub baldachino, quod deferunt Beneficiati parati cum pluvialibus, si haberi poterunt, et his deficientibus, cum cottis, præeuntibus Capellanis cum funalibus accensis, et duobus acolythis cum duobus thuribulis, continuo incensantibus Sacramentum, et revertitur ad altare eodem ordine. Cantores cantant Hymnum *Vexillo Regis prædeunt* etc.

32. Cum autem pervenerit ad cancellos altaris, vel, ubi non sunt cancelli, ad gradus presbyterii, removetur baldachinum, et Diaconus Evangelii genuflexus ante gradus altaris, accipit sanctis-

simum Sacramentum de manu Episcopi stantis, illudque reverenter collocat super altare. Episcopus, deposito velo, genuflectit super pulvino in primo gradu altaris, mox surgit, et ministrante Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulum, absque benedictione, et iterum genuflexus, Sacramentum incensat triplici ductu, et ascendit ad altare: et extrahit Sacramentum de calice, ponit super patenam, quam Diaconus tenet, et accipiens patenam de manu Diaconi, sacram hostiam ponit super corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase; Canonici, et alii de choro, in duplici gyro, genuflectunt in plano ante altare: et Capellani hinc inde tenent funalia accensa usque post communionem. Diaconus autem, observata cæremonia prægustationis vini et aquæ, ut habetur in cap. VIII. § LXII. *hujus lib. II. de Missa solemni, Episcopo celebrante*, ponit vinum in calicem, et Subdiaconus aquam, quam Episcopus non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam, sed accipiens calicem a Diacono, ponit super altare, nihil dicens, et Diaconus illum cooperit palla.

33. Deinde Episcopus, ministrante Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulo, absque benedictione, et incensat Oblata, et inde crucem et altare, more solito, genuflectens ante et post, et quodcumque transit ante sanctissimum Sacramentum: cum incensat Oblata, dicit *Incensum istud etc.*; cum incensat crucem et altare, dicit *Dirigátur Dómine etc.*; quando dat thuribulum Diacono, dicit *Accéndat in nobis etc.* et ipse non incensatur.

34. Postea aliquantum extra altare in cornu Epistolæ lavat manus, nihil dicens; deinde in medio altaris inclinatus, junctis manibus, dicit *In spíritu humilitátis etc.*; deinde versus ad populum in cornu Evangelii, dicit more solito *Oráte fratres*, et per eandem viam revertitur, non perficiens circulum; et statim, omissis aliis, dicit in cantu feriali *Orémus: Præcéptis salutáribus etc.* et dicto sub silentio *Amen* eadem voce, qua dicit *Pater noster*, absolute dicit *Líbera nos etc.* Mox genuflexus supponit patenam Sacramento, quod dextera accipiens, elevat, ut videri possit a populo, et statim supra calicem dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in calicem, more solito, sed sine signo crucis, nihil dicens. *Pax Dómini etc.* non dicitur, nec *Agnus Dei etc.*, neque pacis osculum datur.

35. Postea, prætermissis duabus primis Orationibus, dicit tantum *Percéptio Córporis tui etc.*, tum genuflectit, et accipit patenam,

cum Corpore Christi; et maxima humilitate ac reverentia dicit *Panem cœlestem accipiam etc.*, postea signat se Sacramento, dicens *Corpus Dómini nostri etc.* et sumit Corpus reverenter: deinde, omnis omnibus, quæ dici solent ante assumptionem Sanguinis, immediate particulam hostiæ cum vino reverenter sumit de calice, et more solito facta ablutione digitorum, infundente vinum Diacono, et sumpta purificatione, in medio altaris inclinatus, manibus junctis, dicit *Quod ore sumpsimus etc.* et non dicit *Corpus tuum Dómine etc.* nec Postcommunio, nec *Pláceat tibi etc.* nec datur benedictio; sed statim Episcopus vadit ad cornu Epistolæ; ibique cum mitra lavat manus cum solitis cæremoniis: deinde ascendit ad sedem suam episcopalem nudam, ubi deponit sacra paramenta, et assumit cappam laneam violaceam: interim omnes alii deponunt paramenta, et postea statim dicuntur *Vesperæ*; et in fine Episcopus descendit, et genuflectit ante altare super genuflexorio nudo cum dicitur *Christus factus est etc.* et finito Psalmo *Miserére mei Deus etc.* dicit Orationem *Réspice, quæsumus Dómine etc.* et revertitur ad domum suam ordine quo venit.

CAPUT XXVI.

Quæ præparanda pro officio feriæ sextæ in Parasceve, Episcopo tantum præsentē, seu absente, et in Collegiatis. Accessus Episcopi ad ecclesiam, et Celebrantis ad altare. Episcopus nulli benedicit, nec osculum manus recipit hac die. A quo et ubi Epistola et prima Prophetia cantentur. Secunda Prophetia cantanda a Subdiacono. Quomodo et a quibus procedatur ad cantandam Passionem. Quo habitu Diaconus reliquam Passionem cantet. Sermocinator Indulgentiam tantum ab Episcopo petat. Ubi Celebrans dicat Orationes. Ordo denudandæ crucis et procedendi ad ejus adorationem. Processio ad recipiendum sanctissimum Sacramentum, quod gestare debet Episcopus et Celebrans super altari collocare. Cetera, quæ a Celebrante explenda sunt. *Vesperæ* quomodo compleantur. Indulgentia, si non est habitus sermo, quando publicanda.

Præparentur et serventur omnia in *præcedenti capite* expressa, si Celebrans sit Prælati, habens insignia pontificalia, exceptis Diaconis assistentibus: si vero non sit Prælati, sed aliquis Canonicus, omnia prædicta similiter parentur, præter faldistorium et abacum; et ipse Celebrans cum suis ministris pareatur in sacristia ante adventum Episcopi, qui hora congrua, indutus cappa ex lana violacei coloris, associatus a Canonicis more consueto, venit

ad ecclesiam, orat prolixius ante altare, super genuflexorio nudo genuflexus, et ad ejus sinistram aliquantulum post ipsum Celebrans super scabello nudo cum Diacono et Subdiacono in nudo solo genuflectentibus: cumque oraverint prolixius solito, Episcopus surget, ascendet ad sedem suam, comitantibus duobus suis Assistentibus, qui apud eum assistunt, more solito; et Celebrans vadit ad altare, et illud osculatur. Deinde, si sit Prælatus, ad suum faldistorium: sin minus, ad scamnum nudum pro ipso, et suis ministris paratum.

2. Tunc vero per clericos et ministros extenditur tobalea seu mappa super altari, quæ parum hinc inde pendeat. Episcopus hac die nulli manu nec verbo benedicit, neque recipit osculum manus ab aliquo, sed nec ipse osculatur textum Evangelii, nec incensatur, ut alias. Cum omnes consederint, aliquis ex Beneficiatis vel Cantoribus cotta indutus, ducente cæremoniario, sibi ipse librum deferens, cum debitis reverentiis Celebranti, altari cum genuflexione, et Episcopo, accedit ad locum, ubi cantari solet Epistola, ubi alta voce cantat primam Prophetiam sine titulo, librum manibus tenens; qua finita, et factis iterum debitis reverentiis, redit ad locum suum, relinquendo librum super abaco vel mensa, et recitatur per chorum Tractus *Dómine audivi etc.* post Prophetiam, quam simul cum Tractu legunt tam ipse Celebrans quam Episcopus, sedentes in suis sedibus, servientibus Episcopo de libro solitis Capellanis, Celebranti vero Subdiacono.

3. Finito Tractu per chorum, Celebrans surgit; et si est Prælatus, stans ante faldistorium versus ad altare, dicit *Orémus*, et Diaconus retro ipsum *Flectámus génua*, Subdiaconus vero *Leváte*. Tunc Episcopus et omnes genuflectunt, excepto Celebrante, et statim surgunt: si vero non est Prælatus, apud altare: Celebrans autem cantat Orationem *Deus a quo et Judas etc.* in tono uniformi et feriali. Qua finita, sedet, sedente Episcopo et omnibus.

4. Tunc Subdiaconus, deposita planeta plicata sumptoque libro, vadit cum cæremoniario, factis debitis reverentiis, ad cantandum alteram Prophetiam in eodem loco; qua cantata, reassumit planetam plicatam, et Celebrans ac Episcopus legunt ipsam Prophetiam et Tractum, ut prius; et dum per chorum cantatur præfatus Tractus, tres Capellani seu Cantores, qui Passionem sunt cantaturi, parantur in sacristia, et circa finem Tractus, ordine, prout in *capite præcedenti* dictum est, cantant Passionem.

5. Episcopus, Celebrans, et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt, et stant, detecto capite, usque ad ejus finem: sed Celebrans stat apud altare in cornu Epistolæ, et legit secreta ex libro super altari posito Passionem usque ad finem, versus aliquantulum ad ipsos cantantes, qui Passionem prosequuntur; et ea finita, Diaconus cantat Evangelium, seu reliquum Passionis in tono Evangelii, servatis omnibus, quæ superius expressa sunt.

6. Finito Evangelio, Diaconus cum suis sociis, factis debitis reverentiis, recedit, et manet in habitu, quo reperitur usque ad finem officii: et interim, si sermo est habendus, ducitur per cæremoniarium sermocinaturus ante Episcopum, a quo petit tantum Indulgentias absque benedictione; et statim, finito sermone, illas pronunciat, cum non fiat confessio, nec per Episcopum absolutio, nec benedictio.

7. His expletis, vel, si non fiat sermo, statim finita Lectione in tono Evangelii, Celebrans accedit ad altare in cornu Epistolæ cum suis ministris, et cantat Orationes, prout in Missali; advertendo, quando dici, et quando omitti debeat *Amen* per Chorum, et *Flectámus génua* per Diaconum: quæ verba *Flectámus génua* cum dicuntur, Episcopus et alii, ut supra, genuflectunt, et surgunt, cum per Subdiaconum dicitur *Levâte*.

8. Antequam dicatur ultima Oratio, ministri extendunt longum pannum seu tapete ante gradus altaris vel presbyterii cum pulvino et mappa, ut in *præcedenti capite* dictum est.

9. Completis Orationibus, Celebrans si est Prælatus, accepta mitra, procedit ad faldistorium, ubi deponit mitram et casulam, et vadit ad posteriorem partem cornu Epistolæ altaris; et, si non est Prælatus, deponit casulam in solito scamno, cui stanti post angulum dicti lateris altaris, facie versa ad populum seu Chorum, Diaconus offert crucem velatam, de altari reverenter acceptam, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius summitatem usque ad transversum crucis, prout supra dictum est: et dum Celebrans cantat *Ecce lignum Crucis*, tenet ei librum, si est Prælatus, Assistens; si vero non est Prælatus, Capellanus: et Episcopus tunc, et omnes detecto capite, surgunt; et semper dum Chorus respondet *Venite adorémus*, Episcopus et omnes alii, excepto solo Celebrante, genuflectunt.

10. Dicto tertio *Ecce lignum Crucis*, et servatis omnibus su-

perius expressis, Celebrans ipse solus absque ministris procedit ad locum ubi est positum pulvinar antedictum, portans crucem ambabus manibus elevatam cum reverentia et devotione, nullam tunc Episcopo neque altari reverentiam faciens, et eam genuflexus ponit, et firmat chordulis, si opus est, supra dictum pulvinum, adjuvante cæremoniario, qui paulo ante ponere debet lancem prope ipsum pulvinum ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ cruci offeruntur, ponantur.

11. Deinde Celebrans, facta reverentia Episcopo redit ad faldistorium, seu sedile, ubi deponit calceos, seu crepidas; eodemque tempore Episcopus a suis scutiferis, oras cappæ a Capellanis elevatas subeuntibus, excalceatur; qui fimbrias posteriores cappæ per terram trahens, anteriores vero ibi ipse elevans, detecto capite, descendit ad adorationem crucis, medius inter duos Diaconos assistentes, et gradiens per dictum tapete, ter cum debita distantia genuflectit ante crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando, et demum crucem osculatur, offerens tamen prius cruci pecunias, quas volet offerre: tum redit ad suam sedem et accipit calceos, quos deposuerat, dictis scutiferis eodem ordine subeuntibus, ut prius; et sedens coopertus legit impropria, quæ etiam interim per chorum cantantur in totum vel in partem, prout numerus adorantium suadebit.

12. Post Episcopum immediate adorat Celebrans, deposita planeta et retentis dalmatica et tunicella, si sit Prælati, et procedit medius inter duos digniores Canonicos; et si non sit Prælati, ibit ad dexteram dignioris Canonici, casula exutus: sequuntur postea Canonici, bini, qui omnes deponere debent calceos, et alii, prout supra expressum est in *capite præcedenti*, et circa finem adorationis accenduntur cerei, ut ibi; et Diaconus portat bursam, explicat corporale super altari, et peracta adoratione, accipit crucem de pulvino, eamque reverenter portat ad altare, nulli reverentiam faciens: sed Episcopus, Celebrans, et omnes tunc cruci genuflectunt, et statim surgunt, et removetur pulvinus, pelvis cum pecuniis; et tapete.

13. Mox ordinatur processio, prout ibi dicitur, et proceditur ad locum, ubi est repositum sanctissimum Sacramentum. Celebrans autem solus paratus procedit immediate ante Episcopum, qui dum ordinatur processio, deponat cappam, et accipiat amictum et stolum supra rochetum, ac pluviale nigrum et mitram simplicem.

14. Cum pervenerit ante fores sacelli, ubi est Sacramentum, deponit mitram, et statim ingressus sacellum, genuflectit; mox surgit, et in primo gradu altaris iterum genuflectit super pulvino, et iterum surgit, et stans imponit incensum in duo thuribula, nihil dicens, ministrante Presbytero assistente; et rursus genuflexus super pulvino, incensat triplici ductu sanctissimum Sacramentum, sacrista aperiente capsulam, ut supra; et statim apponitur velum circa humeros Episcopi, ita ut æqualiter hinc inde pendeat, ut supra.

15. Tunc Celebrans accipit sanctissimum Sacramentum de dicta capsula, illudque in manibus Episcopi collocat, et statim genuflectit. Episcopus capit ambabus manibus, velo, quod circa humeros habet, coopertis, calicem, ubi est sanctissimum Sacramentum, velo coopertum, et illud portat reverenter sub baldachino, quod deferunt Beneficiati cum cottis, præeuntibus Capellanis cum funalibus accensis, et duobus acolythis cum duobus thuribulis, continuo incensantibus Sacramentum, et revertitur ad altare ordine quo venerat, cantoribus Hymnum *Vexilla Regis prædeunt etc.* cantantibus.

16. Cum autem pervenerint ad cancellos altaris vel ad gradus presbyterii, ut supra, removetur baldachinum, et Celebrans genuflexus ante gradus altaris, accipit Sacramentum de manu Episcopi stantis, illudque reverenter collocat super eodem altari.

17. Deinde, deposito velo, Episcopus genuflectit super pulvino in primo gradu altaris: mox surgit, et ministrante Presbytero assistente, ponit incensum in thuribulum absque benedictione, atque iterum genuflexus, incensat sanctissimum Sacramentum triplici ductu, postea revertitur ad sedem suam, et stans, ponit denuo incensum in thuribulum, per cæremoniarium allatum, ministrante Presbytero assistente, et demum genuflexus, permanet ita, donec perficiatur communio. Capellani autem cum funalibus hinc inde, versis ad invicem faciebus, similiter genuflexi, tenent funalia accensa usque post communionem.

18. Celebrans vero postquam Episcopus ad sedem suam pervenerit, extrahit sanctissimum Sacramentum de calice, et ponit super patenam, quam Diaconus, nihil dicens, et sine osculo, offert Celebranti, qui illud super corporale ponit, similiter nihil dicens; Diaconus autem ponit vinum, et Subdiaconus aquam in calice, quæ non benedicuntur, nihil dicens; deinde offert calicem Celebranti, qui

illum ponit super altari, ut alias, nihil dicens, et palla tegitur per Diaconum.

19. Tunc, accepto thuribulo de manu Diaconi, quod cæremoniarius ad altare detulit, facta prius genuflexione sanctissimo Sacramento, illud thurificat, inde crucem et altare, dicens omnes versiculos solitos, non tamen incensatur ipse Celebrans, neque Episcopus, sed incensato altari, Celebrans extra cornu Epistolæ stans versus populum sine mitra, si ea utatur, lavat manus, deinde ad medium altaris cum genuflexione reversus, dicit inclinatus, submissa, sed intelligibili voce, *In spiritu humilitatis etc.*; dicit *Oráte fratres etc.* non peragens gyrum, ut alias, non in medio, sed a latere, ut non vertat tergum sanctissimo Sacramento: deinde, omissis omnibus aliis, absolute dicit in cantu feriali *Orémus: Præcéptis etc.* et Chorus respondet *Sed libera nos etc.* et postquam Celebrans secrete respondit *Amen*, prosequitur in tono feriali absolute, dicens *Libera nos quæsumus Dómine etc.* usque ad *Amen* exclusive, quod chorus alte respondet.

20. Quo dicto, Celebrans, facta usque ad terram reverentia, Sacramentum dextera accipit, quod elevat sola dextera altius solito, ita ut ab omnibus videri possit, sinistra super altari retenta; et statim deponit hostiam, illamque dividit in tres partes, quarum unam mittit in calicem, more consueto, sed sine signo Crucis, nihil dicens: tunc secrete, ut alias, dicit *Percéptio Corporis etc. Panem cœlestem etc.* et *Dómine non sum dignus etc.* et continuat *Corpus Dómini etc.* quo dicto, signat se cum Sacramento, et illud sumit, et demum nihil dicens, sumit vinum et aquam cum particula in calice existente: quo facto, exportantur funalia exstinguenda, et omnes surgunt, et sedent.

21. Tunc Celebrans, si est Prælatus, accepta mitra, in cornu Epistolæ, ut alias, lavat manus: deposita mitra, versus ad medium altaris dicit, inclinatus, manibus junctis, *Quod ore súmpsimus etc.*, si vero non est Prælatus, non lavat manus, sed sumpto calice, dicit ut supra *Quod ore súmpsimus etc.*; quo dicto, revertitur, si sit Prælatus, cum mitra ad faldistorium; si non sit Prælatus, ad sacristiam, et exiit se; et interim Episcopus deponit pluviale, et accipit cappam, et inchoantur Vesperæ, ut in *capite præcedenti* dictum est: et in fine Episcopus descendit ad faldistorium, et dicit Orationem *Réspi-*

ce, quæsumus Dómine, etc. ut ibi : qua dicta, si sermo non fuerit habitus, publicantur per Presbyterum assistentem Indulgentiæ.

22. Absente Episcopo, et in ecclesiis Collegiatis, servantur omnia supradicta, exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent et ad celebrantem Prælatum, et prout adnotatum legitur in Rubricis Missalis.

CAPUT XXVII.

Sabbato Sancto altaria et sedes episcopalis duplici ornatu, coloris albi intus et violacei foris aptentur. Cereus Paschalis, quinque grana incensi, arundo cum tribus candelis præparanda. Ubi et quo ritu novi ignis et incensi benedictio fiat. Ubi item candelæ et quomodo accendantur. Ordo cantandi Præconium per Diaconum, standi ad illud, et infigendi grana incensi in cereo. Quando Episcopus accipiat sandalia alba, faciat præparationem, et induatur una cum ministris paramentis pontificalibus violacels. Ordo accedendi ad altare pro cantandis Prophetiis, standi ac genuflectendi ad Orationes. Ordo procedendi ad benedictionem Fontis, Episcopo baptizante, vel non baptizante. Catechumeni baptizandi sunt aut ab Episcopo, aut a digniore Capituli. Ordo redeundi ad altare, cantandi Litanias, sumendi paramenta alba per Episcopum et ministros, removendi ornamenta violacea ab altari et a sede episcopali. Qui ritus servandus in principio Missæ. Campanæ quando pulsandæ. Subdiaconi verba post recitatam Epistolam. *Allélúja* quando et qua modulatione intonetur. Ordo dicendi Evangelium et prosequendi Missam, celebrandi Vesperas, incensum ministrandi, et perficiendi ipsam Missam.

Sabbato Sancto summo mane vestiuntur altaria, et sedes episcopalis ornatur cortinis duplicibus, videlicet intus alba, exterius violacea: sic etiam duo pallia ad altare majus applicantur et aptantur, ut, cum opus fuerit, faciliter removeri cito possit violaceum, et remaneat album, ut infra dicitur. Præparetur etiam cereus Paschalis prægrandis cum quinque granis incensi, in eo infigendis, qui ponitur in aliquo magno candelabro condecenti, regulariter in latere Evangelii, vel alibi pro situ loci; et apud illum locatur pulpitum sive legile coopertum panno albo serico vel auriphrygiato. Item præparetur arundo cum tribus candelis albis, in summitate positis.

2. In reliquis ornatur ecclesia, altare, abacus, et chorus, prout in Dominicis Adventus et Quadragesimæ, sed cerei relinquuntur extincti, donec erit tempus accendendi, ut infra.

3. Dicta hora Sexta, excutitur e silice ignis extra Ecclesiam,

et accenditur; et per aliquem Sacerdotem vel Canonicum paratum amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali violaceo, vel, si magis placet, quod melius erit, per ipsummet Episcopum paratum, ut supra, cum mitra, astantibus ministris cum cruce, vase aquæ benedictæ et aspersorio, thuribulo et navicula, et granis incensi supradictis in aliquo bacili argenteo, ubi haberi potest, benedicuntur novus ignis et grana prædicta, prout habetur in Missali: deinde, si Episcopus benedixit, deposito pluviali et accepta cappa, sedet in sua sede, benedicit, et imponit incensum in thuribulum, ministrante Presbytero assistente, more solito.

4. Si vero Episcopus ex aliqua causa urgenti non benedixit ignem, hora competenti, associatus more solito, venit ad Ecclesiam cum cappa, orat, ascendit sedem, imponit, et benedicit incensum, ut supra. Subdiaconus Epistolam cantaturus, paratus amictu, alba, cingulo et planeta violacea ante pectus plicata, capit crucem, et factis debitis reverentiis, vadit cum Diacono et aliis ministris extra capellam ad capiendum grana incensi et arundinem prædictam in sacristiam, vel alio, hoc ordine.

5. Præcedit aliquis mazzerius, seu minister cum baculo, tum cæremoniarius; sequuntur duo acolythi cum cottis, quorum, qui est a dextris, portat thuribulum cum navicula, alter a sinistris nihil fert; post eos incedit Subdiaconus cum cruce, et post eum Diaconus paratus dalmatica albi coloris, manibus junctis; post Diaconum sequuntur duo, aut quatuor acolythi, seu Capellani cum cottis. Interim Episcopus, Canonici et alii de choro sedent, exspectantes.

6. Cum pervenerint ad sacristiam, seu locum deputatum, ubi jam erunt præparata grana prædicta et arundo cum tribus candelis ac ignis novus, accenditur una parva candela ex dicto igne, quam portat cæremoniarius. Diaconus capit arundinem, unus acolythus bacile cum quinque granis incensi, et revertuntur hoc ordine. Primo dictus mazzerius, seu minister cum virga, deinde duo acolythi; videlicet, unus cum bacili et granis incensi, quod portat ambabus manibus elevatum a dextris, et alter cum thuribulo et navicula a sinistris; tum Subdiaconus portans crucem; post Diaconus cum arundine prædicta, ad ejus sinistram cæremoniarius cum candela una parva, vel duabus accensis; et ultimo duo vel quatuor acolythi prædicti cum cottis.

7. Cum Diaconus ingressus fuerit ecclesiam, inclinatur caute arun-

dinem, et cæremoniarius, deferens candelam accensam de novo igne, accendit unam ex tribus candelis, in summitate arundinis positis, et statim Diaconus arundinem elevat, et tam ipse, quam alii omnes, et Episcopus genuflectunt, præter Subdiaconum ferentem crucem, et Diaconus alta voce cantat *Lumen Christi*. Quo audito, Episcopus et omnes surgunt, et chorus respondet in eodem tono *Deo grátias*. Deinde, Diacono procedente ad medium ecclesiæ, iterum inclinatur arundinem, et accenditur altera candela, ut prius et eodem modo cum omnibus genuflexus, altiori voce cantat *Lumen Christi*, et similiter respondetur per chorum *Deo grátias*. Idem tertio fit, et dicitur ante altare, et accenditur tertia candela, et Diaconus adhuc altiori voce cantat, et respondetur ei per chorum ut supra.

8. Tunc Episcopus et omnes sedent, ipsi vero ministri surgunt, et factis reverentiis altari et Episcopo, secedunt ad locum, ubi cantandum est *Exsúltet jam etc.*

9. Diaconus vero, deposita arundine in manibus unius ex dictis acolythis, capit de manu cæremoniarii librum, et accedens cum debitis reverentiis ante Episcopum, comitante eodem cæremoniario, petit ab eo benedictionem absque osculo manus dicens *Jube Domne etc.* cui Episcopus respondet *Dóminus sit in corde tuo etc.* prout in benedictione pro Evangelio recitando; sed loco Evangelii dicit *Paschále præcónium etc.* et manu benedicit.

10. Diaconus, habita benedictione, accedit, factis debitis reverentiis, ad legile; ponit super eo librum apertum, quem addet incenso triplici ductu, sed non signat librum, nec se, prout in Evangelio. Ministri circa legile locantur hoc pacto. Subdiaconus cum cruce versa ad Episcopum, et acolythus thuriferarius stant a dextris ipsius Diaconi: acolythus cum arundine, et alter cum granis incensi a sinistris, vertentes facies prout ipse Diaconus: et cum Diaconus incipit cantare *Exsúltet jam etc.* Episcopus et omnes surgunt, delectis capitibus, Diaconus prosequitur cantum suum, et suo tempore infigit quinque grana incensi in cereo in modum crucis, quæ respiciat faciem Episcopi, et pariter suo tempore illuminat cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis, prout in Missali; et advertat Diaconus quod si Imperator non est coronatus, debet dicere *Eléctum Imperatórem Nostrum N.*

11. Finito cantu per Diaconum, omnes inde recedunt cum debitis reverentiis; Diaconus vero, celebraturo Episcopo, deponit dal-

maticam, sumpta stola violacea, et Subdiaconus planetam, et sic in albis accedunt ad Episcopum; qui stans, capite detecto, dicit secrete *Pater noster*, et mox sedet, et chorus recitat Nonam.

12. In fine Nonæ Episcopus descendit de sede, et cum dicitur *Christus factus est etc.* procumbit super faldistorio, et genuflexus, dicit Orationem *Réspice quæsumus Dómine etc.* Qua finita, surgit, et revertitur ad sedem suam, ubi sedens accipit sandalia alba, quia illa non mutat, legit Psalmum *Quam dilécta etc.* cum *Glória Patri etc.* et alias Orationes et Versiculos consuetos; lavat manus, et paratur omnibus indumentis pontificalibus et manipulo coloris violacei, non tamen Pallio si sit Archiepiscopus, ac mitra simplici a dictis Diacono et Subdiacono in albis assistentibus; et cum Episcopus accipit planetam, pariter Canonici capiunt paramenta ipsis congruentia, coloris violacei, et ipsi Diaconus et Subdiaconus planetas antepectus plicatas, ejusdem coloris, ac manipulos; et Canonicus Presbyter assistit cum pluviali ejusdem coloris; et alii duo Diaconi, ubi est consuetum, assistunt, ut alias.

13. Cum Episcopus fuerit paratus, descendit cum mitra et baculo de sua sede, et comitantibus prædictis assistentibus et ministris, accedit ad altare, quod sine mitra in medio osculatur, deposito interim baculo: et facta cruci reverentia, mox recepta mitra et baculo, revertitur ad eandem suam sedem: Diaconus vero Evangelii et Subdiaconus de Epistola, si assistant alii duo digniores Diaconi, sedent in scamno, aut scabellis apud cornu Epistolæ, ut dictum fuit in *cap. VIII. §. XXXVI. hujus lib. II. de Missa solemni, Episcopo celebrante.* Locatur in medio chori vel presbyterii pulpitem sive legile nudum, et omnibus consedentibus, ducitur a cæremoniaro aliquis acolythus sive cantor indutus cotta, qui factis debitis reverentiis altari et Episcopo, cantat sine titulo primam Prophetiam; qua finita, accedit cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi, antequam surgat pro Oratione cantanda.

14. Tum Episcopus surgit, deposita mitra, dicens *Orémus*, et Diaconus assistens ad ejus dexteram, dicit *Flectámus génua*, et omnes genuflectunt, excepto Episcopo: alter vero ad sinistram *Levâte*, et omnes surgunt. Ipse vero Episcopus prosequitur Orationem, stans manibus extensis, sustinente librum Presbytero assistente more solito: sed, ubi non assistunt prædicti duo antiquiores Diaconi, ser-

vient in hujusmodi ministerio, et aliis, prædicti Diaconus et Subdiaconus Evangelii et Epistolæ.

15. Cantantur deinde aliæ Prophetiæ ab acolythis vel cantoribus eodem ordine; et post quartam, octavam et undecimam Lectionem, seu Prophetiam, Episcopus legit ex libro Tractum dum cantatur a choro; et pariter per eosdem Diaconos assistentes suo tempore dicitur *Flectamus genua* et *Levate*, ut in Missali.

16. Finitis Lectionibus, si Episcopus voluerit ipsemet benedicere Fontem, quod valde convenit, deposita planeta, et sumpto pluviali violaceo ac baculo, ibit, præcedente cruce, cum cereo benedicto accenso, qui portabitur immediate ante crucem, et Canonicis paratis, ac aliis de clero, ad illum benedicendum, et alia fiunt et cantantur, etiam circa Baptismum, prout in Missali.

17. Si vero non potuerit Episcopus id præstare, destinabit aliquem ex dignioribus Capituli, qui pluviali paratus, comitantibus aliquot acolythis et ministris, cum cereo accenso et cruce, ea omnia faciet.

18. Quibus peractis, si aderunt catechumeni, baptizentur more solito ab Episcopo, aut a digniore ex Capitulo, ut in *numero præcedenti*, et per octo dies ante in ipsa Ecclesia, nisi periculum imminet, nullus infans baptizetur.

19. Si Episcopus id præstiterit, eodem ordine redibit ad altare majus, ubi deposito pluviali, cum mitra procumbit ante illud super faldistorio, et pariter omnes in suis locis genuflectunt: et duo Capellani sive cantores genuflexi ante scabellum versus cornu Epistolæ retro Episcopum, habentes ante se librum, inchoabunt Litanias: et si aderunt ordinandi, prosternent se per gyrum, dum dicuntur Litanie, et alia fiunt in Pontificali Romano *de Ordinibus dandis*, respondente choro, et repetente omnia, quæ ipsi Capellani sive cantores dicunt, et cum perventum fuerit ad Versiculum *Peccatores*, Episcopus surgit, et ibidem stans, deponit paramenta violacea, et accipit alba ac pallium, si est Archiepiscopus.

20. Diaconus autem et Subdiaconus, paulo ante depositis planetis violaceis ante pectus plicatis, assumunt dalmaticam et tunicellam albas, ut præsto sint ad induendum Episcopum.

21. Interim removentur etiam ab altari et sede Episcopi pallia violacea, et accenduntur luminaria. Capellani vero sive cantores jam dicti prosequuntur Litanias usque in finem, respondente choro,

ut supra, et in fine cantatur *Kýrie eléison* cum pausa conveniente, donec Episcopus fuerit in sua sede ad cantandum *Glória in excélsis Deo etc.*

22. Episcopus, postquam est albis paramentis paratus, facit confessionem cum ministris, more solito, ascendit ad altare, illudque ac librum Evangeliorum osculatur, imponit incensum in thuribulum et benedicit, incensat altare, et incensatur ipse a Diacono, et revertitur ad suam sedem, ubi, dicto *Kýrie eléison*, cantat *Glória in excélsis Deo etc.*

23. Tunc pulsantur campanæ et organum, et prius debent moneri aliæ ecclesiæ civitatis, ne pulsent campanas, nisi prius audito signo campanarum ecclesiæ Cathedralis.

24. Finito Hymno *Glória in excélsis Deo etc.* per cantores, Episcopus surgens sine mitra, dicit versus populum *Pax vobis*, deinde Orationem *Deus, qui hanc sacratissimam noctem etc.*

25. Finita Epistola, Subdiaconus, dimisso libro in manu cæremoniarii, immediate accedens ante sedem Episcopi, clara voce dicit *Reverendissime Pater, annúntio vobis gáudium magnum, quod est Allelúja*, et statim accedens, osculatur ejus manum. Tunc is, cui ex officio id incumbit, vel aliquis Canonicus præintonat Episcopo *Allelúja*, qui surgens sine mitra, ter cantat *Allelúja* semper elevando vocem gradatim: et chorus post quamlibet vicem repetit illud idem: et postea chorus prosequitur Versiculum *Confitémini Dómino etc.* Tunc Episcopus sedet et prosequitur Missam, prout in Missali, servatis omnibus cæremoniis, quæ late explicatæ sunt in prædicto *cap. VIII. lib. II.* Ad Evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum; et petitur benedictio: dicitur *Pax Dómini sit semper vobiscum*, sed non datur pacis osculum, nec dicitur *Agnus Dei etc.* nec Postcommunio, sed tres Orationes ante Communionem dicuntur.

26. Post communionem Episcopus, facta purificatione, lavat manus, redit ad sedem, et chorus incipit *Allelúja* pro Vesperis, Episcopo sedente.

27. Ad *Magnificat* Subdiaconus præintonat ei Antiphonam, quam surgens, repetit; deinde sedet cum mitra, et imponit incensum more solito. Cum inchoatur *Magnificat*, Episcopus descendit ad altare, et deposita mitra, facit cruci reverentiam, osculatur altare, et illud incensat: mox revertitur ad sedem, et incensatur ipse, et

alii, more consueto : et ipse stans sine mitra, exspectat finem cantici *Magnificat*.

28. Cum repetitur Antiphona, sedet, accepta mitra, et ea finita, descendit ad altare, dicit *Dóminus vobiscum* et Orationem, et Diaconus *Ite Missa est* cum duplici *Allelúja*, datur benedictio, et publicantur Indulgentiæ, ut alias.

CAPUT XXVIII.

Sabbato Sancto, si Episcopus assistat, vel absit, omnia fiunt a Celebrante, prout in Missali. Ordo procedendi ad Ecclesiam, et benedicendi ignem atque grana incensi. Celebrans ubi stare deheat, dum Diaconus canit Præconium. Quibus paramentis Celebrans, Diaconus et Subdiaconus induantur, finito Præconio. Prophetiæ ubi et a quibus cantandæ sint, et quando genuflectendum ad Orationes. Ordo procedendi ad benedictionem Fontis, conficiendi Baptismatis, et redeundi ad altare. Ubi cantari debeant Litanæ. Ubi et quando Celebrans capiat paramenta alba cum ministris pro Missa. Quo ritu Missa celebretur, ac cetera perciantur.

Si Episcopus nequiverit celebrare, sed officio et Missæ, per alium celebratæ, interesse, præparantur omnia, quæ *in superiori capite* expressa sunt, et dicta Nona, Canonicus, vel alius, qui erit officium facturus, paratus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo, in sacristia, vel in alio loco decenti et consueto, benedictet novum ignem et quinque grana incensi, legendo absque cantu Orationes benedictionis, prout in Missali: quo facto, capiet Diaconus stolam, manipulum et dalmaticam albam, Subdiaconus vero manipulum et planetam ante pectus plicatam coloris violacei, et sic parati, sedebunt in aliquo scamno a sinistris altaris, exspectantes adventum Episcopi, qui statim, finita prædicta benedictione novi ignis, veniet more solito cum cappa ad ecclesiam; orabit ante altare majus, et ascendet ad sedem suam cum suis Capellanis; et orante Episcopo, surget Celebrans cum ministris, qui, donec Episcopus orabit, stabunt, et, Episcopo sedente, sedebunt.

2. Cum Episcopus aliquantulum in sede sua quieverit, accedet ad eum acolythus vel cæremoniarius cum incenso, et ministrante solito Canonico Presbytero assistente naviculam, imponet et benedictet incensum, more solito.

3. Subdiaconus capiet crucem, et cum Diacono et aliis mini-

stris discedet versus sacristiam ad accipiendam arundinem cum tribus candelis et quinque grana incensi; et alia omnia fient, quæ superius declarata sunt: Celebrante interim sedente in suo scamno, et surgente apud illud, cum opus fuerit, donec inchoetur Præconium *Exsúltet jam etc.* quo incepto, accedet ad altare, et ibi stabit, manibus junctis, in cornu Epistolæ, respiciens Diaconum cantantem.

4. Finito Præconio, Diaconus revertitur ad altare, et deposita dalmatica et stola alba, capiet violaceam et planetam ante pectus plicatam, et cum Subdiacono accedet ad Celebrantem, qui etiam in suo scamno induet planetam cum manipulo; ministri quoque manipulos habebunt.

5. Item locabitur in medio chori seu presbyterii pulpitem nudum, et deducetur a cæremoniario aliquis acolythus, vel clericus, sive cantor, cotta indutus, ad cantandam primam Prophetiam sine titulo; quam leget etiam Celebrans submissa voce apud altare, astantibus ministris, ut fit ad Introitum Missæ; et ea finita, accedet, qui illam cantavit, cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi; quo facto, Celebrans dicet *Orémus*, Diaconus *Flectámus génua*, et Episcopus ac omnes genuflectunt, excepto Celebrante; et Subdiaconus *Leváte*, et omnes surgunt: tunc Celebrans prosequitur Orationem, stans manibus extensis. Cantantur deinde eodem modo aliæ Prophetiæ, quarum primas quatuor cantabunt cantores, vel acolythi, seu clerici, alias quatuor Beneficiati, seu Mansionarii, ultimas quatuor Canonici, vel alias, prout commoditas et numerus clericorum vel consuetudo Ecclesiæ suadebit.

6. Post quartam, octavam et undecimam Prophetiam, Episcopus leget ex libro Tractum, dum idem cantatur a choro, ministrantibus de libro et candela solitis ministris; Celebrans vero apud altare illum leget: Diaconus et Subdiaconus suo tempore ad alias Orationes dicent *Flectámus génua*, et *Leváte*, prout in Missali.

7. Finitis Lectionibus, Celebrans, deposita planeta et accepto pluviali violaceo, præcedente cruce, clero et Canonicis, et ante crucem, aliquo acolytho portante cereum benedictum accensum, medius inter Diaconum et Subdiaconum, et post ipsum sequente Episcopo, ibit ad benedicendum Fontem baptismalem, choro interim cantante Tractum *Sicut cervus etc.* et omnia fient et cantabuntur circa Fontis benedictionem, quæ habentur in Rubricis Missalis.

8. Quibus peractis, si aderunt catechumeni, baptizentur, more

solito. Interim locatur ante medium altaris faldistorium pro Episcopo et scabellum pro Celebrante ad sinistram partem.

9. Completa benedictione Fontis, et baptizatis catechumenis, si aderunt, ut in *præcedenti capite* dictum est, redeunt omnes eodem ordine ad altare, et Episcopus genuflectit super dicto faldistorio, capite detecto; Celebrans vero, deposito pluviali, ante dictum scabellum a sinistris Episcopi: Diaconus et Subdiaconus, in albis post Celebrantem, et pariter omnes in suis locis genuflectunt.

10. Duo Capellani, sive cantores, genuflexi ante scabellum post Episcopum et Celebrantem, habentes ante se librum, inchoabunt Litanias, choro idem simul respondente, prout in Missali. Cum perventum fuerit ad Versiculum *Peccatores*, surget celebrans, et ibit ad sacristiam cum suis ministris ad accipiendum paramenta alba pro Missa, nisi sacristia multum distet, quo casu parentur in solito scanno prope altare in cornu Epistolæ, et eodem tempore per alios ministros removeatur ab altari pallium violaceum, et remaneat album, et accendantur candelæ altaris, ita ut hæc omnia fiant, antequam compleantur Litaniae: quibus finitis, surgit Episcopus et removetur faldistorium.

11. Celebrans vero accedit ad ejus sinistram, facit cum Episcopo confessionem, cantatur *Kýrie eléison* et *Glória in excélsis Deo*, pulsanter campanæ, et perficitur Missa, secundum Rubricas Missalis, prout etiam in *præcedenti capite* legitur, et cum cæremoniis descriptis in *cap. IX. hujus lib. II. de Missa solemni, quæ coram Episcopo celebratur*.

12. In ecclesiis Collegiatis eadem omnia servari debent, quæ in *hoc capite* expressa sunt, exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent, servatis in omnibus Rubricis Missalis; et eadem fere omnia servantur in Sabbato Pentecostes.

CAPUT XXIX.

Episcopus in die Paschæ Resurrectionis solemniter Missam celebrare debet, et sacram Eucharistiam administrare. Ordo dandæ communionis in hac Missa. Diaconus post sumptionem Sanguinis cantet confessionem in cornu Epistolæ. Quo ritu Episcopus Christi Corpus tradat. Qui hinc inde assistere debeant. Manus Episcopi ante sumptionem particulæ osculanda. Ordo accedendi ad communionem. Quid observandum, si aliquæ hostiæ consecratæ supersunt.

In die Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi Episcopus, nisi aliquo legitimo impedimento fuerit præpeditus, Missam solemnem omnino celebrare debet, et in ea Communio generalis per ipsum Episcopum erit facienda, ordine infrascripto.

2. Nam servatis omnibus, quæ superius in *capite de Missa solemni, Episcopo celebrante*, explicata sunt usque ad Offertorium, eo dicto, portatur ad altare per Subdiaconum vas argenteum vel aureum cum multis particulis, prout populi frequentia requiret, coopertum, quod Diaconus collocat ante crucem; ita ut non impediat thurificationem altaris; et cum Celebrans dicit *Suscipe sancte Pater etc.* discooperit illud, et aliquantulum elevat, ac statim reponit super altare, et cooperit, et iterum, cum Celebrans profert verba consecrationis, Diaconus illud detegit, et post consecrationem cooperit.

3. Cum vero Episcopus Sanguinem Domini sumpserit, et mox Diaconum et Subdiaconum communicaverit, qui osculantur primo manum, deinde faciem Episcopi, qui eis dicit *Pax tecum*, et illi respondent *Et cum spiritu tuo*, ac etiam antequam se purificaverit et digitos abluerit, retrahit se ad cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolæ, et Subdiaconus stabit post ipsum: Diaconus vero stans in cornu Epistolæ versus Celebrantem aliquantulum inclinatus, ac manibus junctis, cantabit confessionem in tono et notis consuetis, stantibus Canonicis et clero, exceptis his, qui sunt communicandi, qui genuflectere debent, et tunc per cæremoniarium vocantur. Episcopus vero celebrans, finita confessione, legit ex libro ante se allato, vel memoriter, voce intelligibili absolutionem, videlicet *Miserereatur vestri etc.* et *Indulgentiam etc.* et faciet super populum signum crucis, statim loca permutat, videlicet, Celebrans cum Subdiacono accedunt cum debitis genuflexionibus ante sanctissimum Sacramentum ad cornu Epistolæ, Diaconus vero, relicto dicto cornu Epistolæ, vadit ad cornu Evangelii, et capit cum debitis reverentiis dictum vas, seu pyxidem coopertam, cum hostiis, et eandem discooperit, et Episcopus firmat se in medio altaris, illi renes vertens, ad cujus dexteram stat Diaconus cum particulis consecratis, ad sinistram Subdiaconus cum Patena; eodemque tempore vocentur duo Capellani, seu acolythi, cottis induti cum mantili albo, quod genuflexi sustinent ante communicandos, hinc inde ambabus manibus per qua-

tuor angulos, quousque perfecta fuerit communio: qui autem communionem sumpturi sunt, convenienter debent singuli cum debitis reverentiis ante Episcopum accedere, et communione sumpta, per latus sinistrum Celebrantis discedant, et ibi in cornu Epistolæ accipiant purificationem de manu sacristæ, vel ministri calicem cum vino, et mappula ad tergendum appensa, ministrantis.

4. Cum autem communio exhibetur Canonicis vel Magistratui, convenienter debet aliquis Canonicus, vel eorum ultimus, dummodo tamen sit in Sacris constitutus, purificationem præbere, deinde pro reliquis Beneficiatis id munus exsequitur aliquis Beneficiatus; pro reliquo clero et populo aliquis Capellanus; et ne confusio inter euntes et redeuntes fiat, bonum erit adhibere aliquos de clero, ad id deputatos, ut omnes quiete, devote et ordine suo progredi curant, et per latus sinistrum revertantur.

5. Si aliquis Prælati, non tamen Episcopus consecratus, vellet communicare, debet ante communionem osculari manum Episcopi Celebrantis, et sumpta communione, faciem, et idem omnes Canonici parati observabunt: reliqui omnes, tam de clero quam de populo, et etiam Magistratus osculantur manum Episcopi tantum ante communionem.

6. Ordo autem euntium ad communionem erit idem, qui servatur in distributione candelarum, et palmarum, ac incensi, ut suo loco dicitur.

7. Finita communione, reponantur funalia, quæ usque tunc fuerunt accensa, et Diaconus reposito vase seu pyxide cum hostiis super altare, si quæ remanserunt, illam cooperit, et consignat alicui Presbytero parato cum stola et cotta, seu pluviali, qui illam sub baldachino, si commode fieri potest, præeuntibus clericis cum intorticiis, et aliquibus de clero comitantibus, portat ad locum, ubi asservatur sanctissimum Sacramentum.

8. Celebrans tunc, sumpta purificatione, lavat digitos et sumit ablutionem: mox, sumpta mitra, lavat manus et prosequitur Missam, ut in *præcedenti capite VIII. hujus lib. II de Missa solemni, Episcopo celebrante*, explicatum fuit.

CAPUT XXX.

Ordo celebrandi Missam solemnem in die Paschæ, Episcopo absente, in Cathedralibus vel in Collegiatis. Aquæ benedictæ aspersio de more fiat. Celebrans communicet ministros et ceteros communicare volentes ad Missam. Communio ceteris de Parochia, ubi et a quo tradenda.

Absente Episcopo in ecclesiis Cathedralibus et in Collegiatis, aliquis Canonicus, seu Dignitas, vel is, ad quem de consuetudine spectat hac die celebrare in absentia Episcopi, paratur in sacristia more solito cum pluviali albo, et accedat ad altare, medius inter Diaconum et Subdiaconum, paratos omnibus paramentis ipsis convenientibus: et facta altari reverentia, ac salutatis hinc inde Canonicis, accepto de manu Diaconi aspersorio cum aqua benedicta, dicens *Vidi aquam*, prout in Missali, asperget primo altare, deinde seipsum, mox Diaconum et Subdiaconum, tum alios Canonicos et omnes de choro et populo more solito.

2. Quo facto, deposito pluviali, capiet planetam, et facta iterum reverentia altari et Canonicis, inchoabit Missam, quam prosequitur, more solito, secundum Rubricas Missalis.

3. Præparentur cum Hostia consecranda particulæ in numero sufficienti, pro communicandis Canonicis et aliis de clero communicare volentibus, in vase aureo vel argenteo, saltem intus deaurato, quod collocetur cum calice super altari, prout supra dictum est.

4. Postquam Celebrans Sanguinem sumpserit, et antequam se purificaverit et digitos abluerit, dicta confessione per Diaconum, ut in *capite præcedenti*, communicabit primo Diaconum et Subdiaconum, si non sint Sacerdotes, qui hac die celebrent; deinde singulos Canonicos, Beneficiatos, seu Mansionarios, clericos et cantores, non Presbyteros, ac etiam suo loco Officiales, Magistratus, si adsint et communicare voluerint in hac Missa.

5. Ceteri vero de parochia utriusque sexus communicari poterunt in alio altari, seu capella ad hoc præparata, per Parochum, seu sacristam, ubi continue, tam ante Missam majorem quam post, ac etiam dum Missa decantatur, secundum concursum et frequentiam populi, adsit Curatus Ecclesiæ, vel alius Sacerdos, qui communionem præbeat singulis accedentibus: qui locus, seu capella,

non debet esse in conspectu altaris majoris, sed in navi, seu loco separato, ita ut, quoad fieri possit, non videatur ab his, qui Missæ majori intersunt, ne continue genuflectere cogantur propter reverentiam sanctissimi Sacramenti.

6. Finita communione, Celebrans se purificabit, et abluet digitos, et prosequetur Missam, more solito.

CAPUT XXXI.

Quid observandum, si Episcopus in Dominicis per annum celebret, aut Missæ assistat. Paramenta sint coloris temporis congruentis. Aspersio aquæ benedictæ ad Missam in Dominicis, quo ritu facienda. Si Episcopus celebret solemniter, hæc aspersio omittitur. Decens est, ut Subdiaconus Epistolæ et Diaconus Evangelii in hac Missa communicent.

In Dominicis per annum, si Episcopus voluerit celebrare, aut Missæ solemniter per alium celebratæ interesse, serventur omnia circa cæremonias, quæ superius expressa fuerunt in hoc eodem libro, *capite VIII. et IX.*

2. Paramenta tamen altaris, Celebrantis et ministrorum sint coloris viridis, exceptis Dominicis Adventus et a Septuagesima usque ad Pascha exclusive, quia tunc violacea; et tempore Paschali, quia tunc alba; ac infra octavas Festorum solemnium, quia tunc alba, vel rubra, prout solemnitates ipsæ requirunt, adhibentur.

3. Quia tamen in omnibus Dominicis per annum solet fieri aspersio aquæ benedictæ per Sacerdotem celebrantem, antequam Missa inchoetur, Canonicus, vel alius celebraturus in Dominicis prædictis, paratus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, medius inter Diaconum et Subdiaconum paratos, accedet ad altare, ante quod in infimo ejus gradu genuflexus, medius inter prædictos duos ministros, accipiet ex manibus Diaconi aspersionem cum aqua benedicta, et intonando Antiphonam *Asperges me*, seu Antiphonam *Vidi aquam*, juxta temporum diversitatem, prout in Missali, ter altare asperget, et statim surgens, dum cantores prosequuntur Antiphonam cum suis Responsoriis, comitatus a cæremoniario et acolytho cum vase aqua benedicta pleno, accedit ad Episcopum, cui aspersionem, osculatum cum debita reverentia, et osculo manus, porrigit; ipse vero Episcopus primo seipsum, deinde Sacerdotem celebrantem, postea assi-

stentes et solii ministros asperget, et statim eidem reddit aspersorium, qui primo manum, deinde illud osculatur, et rediens ad altare, Diaconum et Subdiaconum paratos, deinde Canonicos, Beneficiatos et clericos ex utraque parte chori, omnesque alios in choro permanentes, et populum asperget; et reversus ante infimum gradum altaris ubi eum Diaconus et Subdiaconus exspectabunt, medius inter eos cantabit Versiculos et Orationem, prout in Missali, ex libro, quem sustinebunt dicti ministri, vel super legili; qua finita, statim amovetur legile et liber; et Celebrans in solito scamno, posito in cornu Epistolæ, deposito pluviali, capit manipulum et planctam, et cum Episcopo, qui a sede descendit ante altare, facit confessionem, et omnia fiunt, et servantur, ut in supradicto *cap. IX. hujus lib. II.*

4. Si Episcopus celebrare voluerit solemniter, non esset faciendâ hujusmodi aquæ benedictæ aspersio; absente vero Episcopo, et in Collegiatis, semper Dominicis diebus fit, ut supra dictum est: quo casu Celebrans statim atque altare asperserit, seipsum primo, deinde ministros paratos, mox, iisdem ministris comitantibus et elevantibus fimbrias anteriores pluvialis, Canonicos et alios de choro, ut supra, asperget, qui omnes aspersione hujusmodi durante, a principio usque ad finem stare debent, detecto capite, et dum ante ipsos Celebrans cum aspersorio accedit, debent illi caput inclinare, et aspersionem aquæ benedictæ reverenter recipere.

5. Memores etiam sint Diaconus et Subdiaconus, qui altari ministrant, Dominicis diebus valde decere, si etiam ipsi, postquam Celebrans communicaverit, communionem ex ejus manibus sumpserint, prout cavetur in *Concilio Tridentino cap. XIII. Sess. XXIII.*

CAPUT XXXII.

Litaniz in festo S. Marci quomodo ordinandæ. Decet, ut Canonici Ecclesiæ Cathedralis paramentis Missalibus induantur, aut saltem eorum aliqui pluvialia capiant. Paramenta omnia sint coloris violacei. Episcopus paretur pluviali violaceo, et assistentes Diaconi dalmaticis item violaceis. Crux Archiepiscopalis quomodo præferenda. Item Imagines, et Reliquiæ. Locus Prælatorum, Magistratus, et nobilium in processione. Quæ Missa dicenda in Ecclesia, ad quam fit Processio. Benedictio in fine Missæ per Episcopum danda, et Indulgentia publicanda. Quæ observanda in Litanis Rogationum et in aliis processionibus.

In die sancti Marci fiunt Litaniz, quas majores vocamus. Dicta igitur die congregatur de mandato Episcopi totus clerus sæcularis et regularis, ac etiam, ubi consuetum est, confraternitates laicorum, cum eorum insignibus ante fores ecclesiz, unde processio discedere debet, seu etiam intra ecclesiam, si sit capax; ibique expectant, donec erit tempus: tunc incipiet a deputatis dirigi processio, ordine solito, in qua prius procedent confraternitates laicorum, deinde religiosi, postmodum clerus et ecclesiz Collegiatæ, et ultimo clerus ecclesiz Cathedralis, cujus Canonici omnes, si commode fieri poterit, erunt parati paramentis sibi competentibus, quemadmodum solent, Episcopo celebrante, vel saltem sex vel octo eorum erunt cum pluvialibus, paramenta tamen erunt coloris violacei: et ultimo loco procedet Episcopus paratus pluviali similiter violaceo et mitra simplici, medius inter duos Canonicos Diaconos assistentes, paratos dalmaticis, et manu sinistra baculum pastoralem gestabit, dextera vero populo benedicet.

2. Si erit Archiepiscopus, præibit crux archiepiscopalis ante Canonicos ecclesiz Cathedralis, ut in *capitibus superioribus* dictum fuit: et si consuetum sit in hujusmodi processione portari aliquas Sanctorum Reliquias et sacras Imagines, servabitur consuetudo: removendi tamen erunt a processionibus ludicri et indecori actus.

3. Hoc ordine ibit processio usque ad ecclesiam, ad quam juxta consuetudinem civitatis dirigitur, cujus ecclesiz clerus, ubi ita consuetum est, procedet obviam, usque extra portam ecclesiz, processioni, ibique stans, eam recipiet.

4. Per viam processionis cantentur Litaniz, et alia, quæ in libro Ritualis Romani continentur, et nihil ultra; ipsa via prius, de mandato Episcopi, ab omnibus in ea habitantibus mundetur.

5. Prælati, si qui aderunt, de gremio ecclesiz, ibunt immediate ante Episcopum; alii vero Prælati, Magistratus et alii nobiles laici post Episcopum.

6. Cum autem Episcopus et processio pervenerit ad dictam Ecclesiam, celebretur ibi Missa solemnis Rogationum, et non S. Marci, nisi fuerit titulus ecclesiz, vel ab Episcopo, vel ab aliquo Canonico coram eo cum solitis cæremoniis, ut supra suis locis dictum fuit: et in fine Episcopus dabit benedictionem solemnem, et faciet publicari Indulgentiam. Si autem hæc Missa opportunius in regressu pro-

cessionis in Cathedrali celebrari judicabitur, tunc in ecclesia, ad quam processio pervenerit, per Episcopum, vel per Celebrantem, cantata per cantores Antiphona de Beata Virgine et de Sancto Titulari, subjungentur propriæ Orationes.

7. In processionibus vero, et Litanis minoribus, quæ Rogationes vocantur, et fiunt tribus diebus ante Ascensionem Domini, eadem servantur, sed aliquanto remissius: convenit tamen in his Episcopum paratum cum ministris intervenire, vel saltem cum cappa.

8. Ad similitudinem harum processionum regulari poterunt et aliæ processiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingit ad placandam iram Dei.

9. Si vero celebrandæ erunt processiones ex causa lætitiæ et pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplum processionis sanctissimi Sacramenti, de qua in *sequenti capite* dicitur: lumina tamen seu funalia accensa deferri magis convenit, cum sanctissimum Sacramentum vel saltem Reliquiæ in processionibus deducuntur.

CAPUT XXXIII.

Pro processione sanctissimi Sacramenti in festo Corporis Christi, quæ præmonenda ab Episcopo circa præcedentias. Viæ et ecclesia quomodo ornandæ. Ordo processionis. Paramenta Capituli ecclesiæ Cathedralis in ipsa Processione. Funalia a quibus et quo ordine portanda. Sanctissimum Sacramentum ab Episcopo quomodo gestandum. Locus et habitus Legati a latere, Cardinalis, Nuntii Apostolici, Metropolitanis, et aliorum Prælatorum. Nobiles viri etiam hastas baldachini deferant. Præparanda pro ipsa processione. Accessus Episcopi ad Ecclesiam. Agenda post communionem Celebrantis. Ordo inchoandæ processionis. Baldachini hastæ per ecclesiam a Beneficiatis deferantur. Psalmi et Hymni ab Episcopo una cum ministris dicendi. Quid servandum ad altaria per vias erecta. Processio quo ritu perficienda. Benedictio cum sanctissimo Sacramento danda, et Indulgentiæ evulgandæ. Missa privata ab Episcopo hac die dicenda. Ritus exponendi sanctissimum Sacramentum super altari per totam octavam, et processionem faciendi.

Ut processio, quæ hac die erit facienda, rite et recte, ac secundum debitas cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat, et ad removendas omnes contentiones et lites, quæ forsitan causa præcedentiæ oriri possent, et in ipso actu maxima cum indecentia et scandalo processionem ipsam turbare, cura erit Episcopi

pridie hujus diei, vel etiam per aliquos dies ante, demandare Magistris Cæremoniarum, vel alteri, ad quem forsitan secundum loci consuetudinem hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter et diligenter præparentur, et prævideantur.

2. Nempe, ut viæ, per quas processio transire debet, munitur et ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse et qualitatem loci. Et ipsa ecclesia similiter perpulchre ornata, prout legitur in *cap. XII. lib. I. de ornatu Ecclesiæ*.

3. Item, ut fiat rotulus, in quo describantur per ordinem omnes, tam laicorum confraternitates, religiosi, et clerus, quam etiam alii quicumque, qui huic Processioni interesse consueverunt, vel debent: ut secundum debitum ordinem et absque aliqua contentione procedatur: apposita etiam aliqua pœna pecuniaria, vel etiam, si Episcopo videbitur, pœna excommunicationis, contra inobedientes, et procedere recusantes, secundum ordinem præscriptum in dicto rotulo.

4. Quod si aliqua præcedentiæ lis inter aliquos religiosos, confraternitates, seu laicos pendeat, quæ non ita de facili terminari valeat, poterit Episcopus mandare, ut absque præjudicio jurium ambarum partium, vel procedant secundum ordinem in dicto rotulo descriptum, vel omnino ab hujusmodi processione abstineant, donec lis fuerit determinata; et intimentur omnes in rotulo descripti, ut ipsa die festivitatis sanctissimi Corporis Christi, summo mane ad ecclesiam Cathedralē conveniant, et ibidem, vel in aliquo ejusdem Ecclesiæ atrio seu platea congregentur, unaquæque religio et confraternitas cum suis insignibus et cruce, ac etiam funalibus, seu candelis in Processione deferendis. Omnes enim tam religiosi quam laici deberent, si fieri posset, in hac processione, si non funalia, saltem candelas ceræ albæ accensas manibus portare.

5. Ordo autem describendus in prædicto rotulo erit, ut præcedant confraternitates laicorum, deinde religiosi secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure vel consuetudine præcedere solent; postmodum Curiales, et Officiales portantes intorticia accensa, inter quos ultimo loco ibunt Nobiliores et Magistratus, deinde clerus, hoc est, primo minister portans crucem ecclesiæ Cathedralis, medius inter duos Clericos portantes duo candelabra cum candelis accensis; deinde, si aderunt, clerici seminarii, et post eos Curati ecclesiarum parochialium cum cottis; tum ecclesiæ Collegiatæ cum eorum insi-

gnibus, si alias illa deferre solent; et ultimo loco clerus ecclesiæ Cathedralis, cujus ecclesiæ saltem octo Beneficiati seu Mansionarii erunt parati cum pluvialibus albis, pro deferendis hastis baldachini in principio processionis, ut infra dicitur, et deinde ibunt ante Canonicos, qui similiter omnes una cum Dignitatibus erunt parati paramentis albis sibi competentibus, quemadmodum solent parari, Episcopo solemniter celebrante, incipiendo a junioribus et inferioribus hoc ordine, videlicet, primo Subdiaconi et Diaconi cum tunicellis et dalmaticis, deinde Presbyteri cum planetis, ultimo loco Dignitates cum pluvialibus; et si erit Archiepiscopus, portabitur immediate ante prædictos octo Beneficiatos paratos et Canonicos, per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos acolythos ceroferarios, crux archiepiscopalis.

6. Ante Episcopum immediate ibit minister de baculo serviens, seu, juxta loci consuetudinem, Dignitas vel Canonicus paratus pluviali, baculum prædictum a terra elevatum ambabus manibus portans, prout in *cap. XVII. §. VI. lib. I. de mitra et baculo pastoralis* dicitur.

7. A lateribus hinc inde ibunt octo Capellani cum cottis, qui in Missa servierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia accensa, quæ pro Missa servierunt; et post eos duo acolythi cum duobus thuribus, continue Ss. Sacramentum per viam thurificantes.

8. Sequetur Episcopus sub baldachino capite detecto, portans manibus suis sanctissimum Sacramentum in tabernaculo sive ostensorio inclusum, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, hinc inde pluvialis fimbrias elevantes.

9. Post Episcopum immediate minister de mitra serviens, cum cotta et velo ad collum, mitram ipsam manibus gestans.

10. Si aderit Legatus de latere, vel alius Cardinalis, aut Metropolitanus, seu Nuntius Apostolicus, habens facultatem Legati de latere; vel alius Prælati, ipso Episcopo superior, ibunt immediate post Episcopum cum cappa.

11. Alii vero Episcopi extranei et Prælati post eos in habitu eorum ordinario, hoc est, mantelletto supra rochetum: et si una cum Legato vel alio Cardinali adesset Metropolitanus, vel Nuntius, seu alius Prælati, Episcopo superior, tunc solus Cardinalis, vel soli

Cardinales, si plures essent, erunt cum cappa, ceteri vero omnes in habitu ordinario, ut supra.

12. Cavendum etiam erit, ne in hac processione actus scenici, vel ludicri et indecori intermisceantur, prout in *capite præcedenti* dictum fuit; sed omnia cum gravitate et devotione fiant et procedant.

13. Deputentur etiam nobiles viri, seu Barones, et alii, qui hastas baldachini per viam processionis portent, et qui illos in tempore, quando opus erit, vocet, secundum regulam supra positam in *cap. XIV. lib. I. §. II. de usu umbraculi*.

14. Ipsa die summo mane, præparetur per sacristam vel alios ministros baldachinum album perpulchrum, super sanctissimum Sacramentum deferendum; item super credentia, ultra candelabra et alia ordinaria pro Missa, tabernaculum pulchrum ex auro, vel argento, sive ostensorium, in quo sanctissimum Sacramentum ponendum, portandumque erit; item duo thuribula cum naviculis et thure; item velum sericum album, amplum, auratum, seu perpulchre ornatum, ponendum super humeros Episcopi, dum Sacramentum portabit. Præparentur etiam funalia et candelæ ex cera alba in numero sufficienti pro Canonicis et aliis, deferenda in processione. Quæ omnia per cæremoniarium prævideantur, an sint opportune et ad usum necessarium præparata.

15. Omnibus paratis, Episcopus, quanto citius poterit, veniet ad ecclesiam, ordine prout dicitur de accessu Episcopi ad ecclesiam, et ibidem Missæ, per primam Dignitatem, vel digniorem Canonicum celebrandæ, paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albo et mitra assistit, in qua omnia servabuntur, quæ in *cap. IX. hujus lib. II. de Missa solemni, quæ coram Episcopo celebratur*, expressa sunt; ac etiam post communionem, cum cæremoniis, genuflexionibus et reverentiis erga sanctissimum Sacramentum super altare positum, quæ explicantur in *cap. XXIII. §. VII. hujus lib. II. de Officio et Missa feriæ quintæ in Cæna Domini*.

16. Elevato sanctissimo Sacramento, vel etiam ante, si opus erit, junior Magister Cæremoniarum curabit, ut processio, secundum ordinem in prædicto rotulo descriptum, dirigatur et procedat.

17. Postquam Celebrans ipse communionem sumpserit et sanctissimum Sacramentum, in processione deferendum, in tabernaculo incluserit, Dignitates et Canonici, ac octo Beneficiati supradicti, et

si qui alii erunt, qui cum paramentis in processione ire debeant, unusquisque Canonorum et Dignitatum in loco suo paramenta sacra albi coloris sibi convenientia induet; Beneficiati vero prædicti extra chorum capient pluvialia; et discedentibus duobus Diaconis assistentibus ad se parandum in loco suo, duo ultimi juniores Canonici venient ad assistendum Episcopo, donec primi parati revertantur; quibus reversis, et ipsi ad se parandum ibunt.

18. Finita Missa et data per Episcopum benedictione, Celebrans, discedens ab altari, ibit in sacristiam, ubi, depositis paramentis Missalibus, induet alia dignitati et ordini suo convenientia, deferenda in processione; et reversus, ibit ad locum suum inter alias Dignitates seu Canonicos.

19. Interim accedent ad Episcopum duo acolythi cum duobus thuribus, et ministrante naviculam Presbytero assistente, absque osculo cochlearis et manus, Episcopus stans cum mitra, sine benedictione, imponet thus in prædictis duobus thuribus. Quo facto, accedet ad altare, ubi, deposita mitra, genuflexus super pulvino ante sanctissimum Sacramentum, accepto e manibus prædicti Presbyteri assistentis uno ex duobus thuribus, thurificabit triplici ductu sanctissimum Sacramentum.

20. Tum per Magistrum Cæremoniarum imponetur super humeros ejus velum perpulchrum supradictum, quod firmabitur spinulis, ne per viam decidat; et Diaconus assistens a dexteris accedet ad altare, et cum debitis reverentiis accipiet tabernaculum, sive ostensorium cum sanctissimo Sacramento de altari, et illud in manibus Episcopi genuflexi collocabit, cui nec manum osculabitur, nec ullam tunc faciet reverentiam, sed statim atque in ejus manibus ipsum Sacramentum reliquerit, genuflectet: tunc cantores incipient Hymnum *Pange lingua gloriósi etc.* et Episcopus cum sanctissimo Sacramento surget, et Diaconi assistentes hinc inde fimbrias anteriores pluvialis elevabunt; et si contingat aliquos gradus ascendere et descendere, cæremoniarius vel aliquis Capellanus extremitates albæ et vestes interiores ipsius Episcopi a parte anteriori elevabit; et aliquis Princeps, si adsit, vel nobilior laicus sublevabit, et portabit per totam processionem pluviale Episcopi a parte posteriori.

21. Octo vero Beneficiati prædicti vel Mansionarii ex dignioribus parati, ut supra, accipiant hastas baldachini, quas portabunt per totam ecclesiam, et in porta ecclesiæ illas relinquent in mani-

bus laicorum, qui primo loco Barones, et Nobiliores, seu Magistratus esse debent, deinde alii, ut supra dictum fuit. Ipsi vero Beneficiati præibunt ad locum suum, idest, ante Canonicos paratos.

22. Per viam processionis semper Episcopus aliquos Psalmos vel Hymnos submissa voce recitabit, respondentibus Diaconis assistentibus: et ordine superius descripto, procedent per totam viam processionis; quæ, si longior fuerit, poterit Episcopus in aliqua ecclesia et super illius altare deponere sanctissimum Sacramentum, et aliquantulum quiescere; et ibidem, antequam discedat, thurificare sanctissimum Sacramentum, et Orationem de Sacramento cantare; quod tamen non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula altaria, quæ forsitan per viam constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum, vel iterum, arbitrio Episcopi.

23. Dum processio erit in fine, idest, prope eandem ecclesiam a qua discessit, ante ejusdem ecclesiæ fores, iterum nobiliores laici, vel alii nobilitate eisdem æquales, hastas baldachini capient: et Episcopus sub baldachino ibit usque ad cancellos, vel presbyterium, vel ad gradus altaris, juxta Ecclesiæ structuram et situationem.

24. Postquam Episcopus pervenerit ad supremum altaris gradum, Diaconus a dextris cum debita reverentia et genuflexione, ac sine osculo accipiet de manu ipsius Episcopi stantis sanctissimum Sacramentum; et illud super altare collocabit.

25. Interim cantores in cantu pausato et devoto cantabunt Versiculum *Tantum ergo Sacramentum etc.*

26. Episcopus vero, deposito velo, genuflectet super pulvino in infimo gradu altaris: mox surget, et imponet incensum in altero ex duobus thuribulis, ministrante naviculam Presbytero assistente, et sine benedictione et osculo, ut supra, et iterum genuflexus sanctissimum Sacramentum triplici ductu, prout fecerat in principio, thurificabit.

27. Quo facto, duo cantores cantabunt Versiculum *Panem de cælo etc.* et chorus Responsorium *Omne delectamentum etc.* Episcopus surgens, ex libro, quem Diaconi assistentes genuflexi hinc inde sustinebunt, cantabit Orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento etc.* qua finita, accedet ad altare, et accepto tabernaculo seu ostensorio cum sanctissimo Sacramento, illud ambabus manibus velatis elevatum tenens, vertens se ad populum, cum illo signum crucis super populum ter faciet, nihil dicens. Quo facto, iterum de-

ponet sanctissimum Sacramentum super altare, deponet velum et genuflectet, ut supra.

28. Tunc Presbyter assistens in cornu Epistolæ, stans versus populum, facta prius debita reverentia cum genuflexione sanctissimo Sacramento, publicabit Indulgentias, in forma consueta, a Summis Pontificibus et ab Episcopo concessas omnibus, qui processioni interfuerunt.

29. Et advertatur, ut intorticia et candelæ, quæ in processione delata fuerunt, non exstinguantur, donec Episcopus cum sanctissimo Sacramento benedictionem, ut supra dictum est, dederit.

30. Omnibus expeditis, Episcopus, facta aliquantulum oratione ante sanctissimum Sacramentum, post debitam genuflexionem, atque accepta mitra extra cancellos, discedet cum Canonicis in sacristiam, ubi paramenta deponet, et solito more associatus ab eis, ad domum suam redibit.

31. Si vero Episcopus voluerit ex sua particulari devotione hac die celebrare, et sanctissimum Sacramentum pro dicta processione conficere, poterit summo mane Missam planam sine cantu legere, omissa pro hac die, propter processionem, ad celeriores actus expeditionem et ad evitandum calorem, Missa solemniter: et in fine Missæ Canonici et alii, ut supra, capient paramenta.

32. Episcopus vero, depositis manipulo et planeta, capiet pluviale; et cetera omnia fient, quæ superius declarata sunt.

33. Et quia solitum est per totam hanc octavam ponere super altare tabernaculum cum sanctissimo Sacramento discooperto, dum Vesperæ et Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia solet accedere, conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus quam Canonici, et omnes præsentés, et in choro assistentes, durante Officio, starent semper capite detecto, et nunquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ, detecto capite, existente sanctissimo Sacramento super altari, divinis Officiis assistere.

34. Solitum etiam est octava die hujus festi post Vesperas fieri processionem ad reponendum sanctissimum Sacramentum, quæ non tam solemniter et longa via, ut prima, sed vel per ecclesiam, vel parum circa extra eam fieri debet, in qua, si Episcopus interesse voluerit, debet cum pluviali sanctissimum Sacramentum portare; et

tam in principio quam in fine processionis illud thurificare, et alia facere, quæ superius expressa sunt; et demum Diaconus debet in fine illud includere et reponere in tabernaculo, ubi solet continue asservari.

35. Absente Episcopo et iiii Collegiatis, Celebrans, finita Missa et depositis planeta et manipulo, capiet pluviale, et sanctissimum Sacramentum thurificabit, illudque sub baldachino portabit, et omnia ut supra fient, exceptis iis, quæ ad Episcopum proprie pertinent.

CAPUT XXXIV.

In quibus festis Episcopi solemniter celebrare soleant. Episcopus in crastinum celebraturus, Vesperas solemnes pridie agere ipse consuevit. In quibus festis Episcopi Missæ et Vesperis solemnibus assistant.

Quia per annum plura festa occurrunt, ultra superius expressa, in quibus decet, vel Episcopum solemniter celebrare, vel saltem Vesperis et Missæ solemniter per alium celebratæ interesse, de his breviter aliquid dicendum est.

2. Celebrare igitur poterit Episcopus, nisi legitime fuerit impeditus, in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, in festo Epiphaniæ Domini, feria quinta in Cœna Domini, in Dominica Resurrectionis, in die Ascensionis, in Dominica Pentecostes, in festivitatibus Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis, et Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, in festo S. Joseph Sponsi B. M. V., in festo Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, in festo omnium Sanctorum, in festo sancti Titularis Ecclesiæ et Patroni, in die Anniversario Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ, vel etiam arbitrio suo in aliis festivitatibus per annum, quandocumque ei placuerit, cum cæremoniis et solemnitatibus, quæ supra in *capite VIII. hujus lib. II. de Missa solemnî, Episcopo celebrante*, explicatæ fuerunt: ac etiam cum Vesperis solemnibus in vigilia, seu die, quæ festum præcedit, excepto Sabbato Sancto, quo die Vesperæ non dicuntur, nisi mane in fine Missæ; et vigilia S. Joseph et Annuntiationis Beatæ Mariæ, si venerit in Quadragesima, die feriato: quo casu Vesperæ non celebrantur in vigilia, sed tantum in die finita Missa;

et tunc, ne istæ solemnitates sine Vesperis solemnibus transeant, poterit Episcopus, depositis Missæ indumentis, accipere pluviale et celebrare Vesperas, Canonicis paratis remanentibus.

3. Sed, si hæc festa venerint feria secunda in Quadragesima, poterunt Vesperæ solemnes in Dominica præcedenti celebrari cum cæremoniis, prout supra dictum est in *capite I. hujus lib. II. de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo.*

4. In aliis autem festivitatibus, videlicet, in nocte Nativitatis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Evangelistæ, Circumcisionis Domini, feria secunda et tertia Paschæ, Dominica in Albis, Dominica Sanctissimæ Trinitatis, in festo Sancti Joannis Baptistæ, in festo Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, in aliquibus principalibus festivitatibus Ecclesiæ Cathedralis, et pro aliqua re gravi, ad universalem, vel propriam Ecclesiam spectante, vel alias quodcumque Episcopo placuerit, poterit, paratus cum pluviali et mitra, assistere Missæ, per aliquem Prælatum, Dignitatem, seu Canonicum celebrandæ, in qua omnia servabuntur, quæ supra explicata fuerunt in *cap. IX. lib. II. de Missa solemni, quæ coram Episcopo celebratur*: et si præcedenti die Episcopus Vesperis interesse voluerit, celebrabuntur similiter, prout dicitur in *cap. II. ejusdem lib. II. de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum non celebraturo.* In aliis festivis, seu ferialibus diebus Episcopus, cum aderit, semper deferet cappam.

CAPUT XXXV.

Missæ solemnis, vel per Episcopum, vel per aliquam Dignitatem celebranda in diebus Electionis et Consecrationis ejusdem. Paramenta sint coloris festo convenientis; si vero feriata dies sit, erunt alba. Collecta pro Episcopo in eadem Missa dicenda.

Singulis annis, in diebus anniversariis Electionis et Consecrationis Episcopi, Missam solemnem, vel per ipsum Episcopum, vel per aliquam Dignitatem, seu Canonicum, ipso præsentem, celebrari convenit; quæ, si dies Electionis seu Consecrationis venerit in die aliquo festivo, celebrabitur de festo, cum paramentis festo convenientibus, et cum commemoratione pro Episcopo.

2. Si vero venerit in die feriato, celebrabitur, prout in Missali,

cum paramentis albis, et una tantum collecta pro Episcopo, videlicet *Deus ómnium fidélium Pastor, et Rector etc.* et si Episcopus celebret, dicat in Oratione *Me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesiæ etc.*, sed in reliquis omnia circa cæremonias servabuntur, quæ supra propriis in locis explicata fuerunt.

CAPUT XXXVI.

Anniversarium pro Episcopo proxime defuncto celebrandum. Missa solennis pro Defunctis ea die coram Episcopo cantanda. Sermo post Missam omittatur. Absolutio in fine per Episcopum cum paramentis nigris fiat.

Episcopus vivens Prædecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro ejus anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missæ pro ejus anima, ab aliqua Dignitate seu Canonico celebrandæ, præsens assistere, et in fine absolvere.

2. Missa autem erit Defunctorum, et in ea omnia tam circa ornamentum altaris, et indumenta, ac paramenta Missalia, quam circa genuflexiones et cæremonias servabuntur, quæ supra declarata fuerunt in *capite XI. lib. II. de Missa Pontificali pro Defunctis*, et in *cap. XII. hujus ejusdem lib. de Missa pro Defunctis, quæ coram Episcopo celebratur*.

3. Non tamen post Missam sermo habendus erit; sed finita Missa, solus Episcopus, deposita cappa, apud sedem suam parabitur pluviali nigro cum ceteris indumentis, et habens ante se pannum nigrum extensum, seu lecticam mortuorum, absolvat, prout ibi dicitur.

CAPUT XXXVII.

Anniversarium omnium Episcoporum quotannis in Cathedrali faciendum. Quomodo Episcopus Missæ huic assistat et absolutio facienda sit, vel ab ipso Episcopo, vel a Celebrante.

Aliquo die non impedito, infra octavam Defunctorum, arbitrio Episcopi, Canonicus aliquis seu Dignitas ecclesiæ Cathedralis celebrabit Missam pro animabus omnium Episcoporum et ecclesiæ Cathedralis Canonicoꝝ defunctorum, cum paramentis

nigris et cæremoniis, prout supra dictum est, cui Missæ Episcopus præsens erit cum cappa; et in fine, si voluerit, poterit, imo debebit, deposita cappa et accepto pluviali, absolvere, prout dicitur *capite præcedenti*.

2. Quod si Episcopus hujusmodi Missæ præsens non erit, vel absolvere nequiverit, Celebrans, finita Missa, accedet ad cornu Epistolæ altaris, ubi in plano, deposita planeta et manipulo, accipiet pluviale nigrum, et stans in dicto cornu Epistolæ, versus ad altare, expectabit finem Responsorii, et interim clerici seu alii extendent pannum nigrum ante gradus altaris, vel portabunt illuc lecticam mortuorum, nisi alias a principio Missæ fuerit accommodata.

3. Quando per cantores repetitur Responsorium, post Versiculum *Réquiem ætérnam etc.* accedet cæremoniarius ad Episcopum, si aderit, cum thuribulo, et ministrante naviculam Presbytero assistente, Episcopus imponet thus in thuribulum cum benedictione solita, quod cæremoniarius portabit ad altare, et alicui Capellano Celebrantis consignabit, tenendum juxta cornu Epistolæ altaris, ubi etiam alius Capellanus tenet vas aquæ benedictæ cum aspersione.

4. Si vero Episcopus præsens non erit, ipse Celebrans imponet thus in thuribulum, ministrante naviculam Diacono.

5. Incepto *Kýrie eléison*, surget Episcopus, detecto capite: Celebrans vero, dicto ultimo *Kýrie eléison*, stans, detecto capite, in dicto cornu versus ad altare, dicet intelligibili voce *Pater noster*, quod secrete complebit; et interim accedet ad medium altaris, et versus dictum pannum, seu lecticam mortuorum, ministrante Diacono aspersionem, asperget ter super eundem pannum, seu lecticam: tum ministrante eodem Diacono thuribulum, simili modo ter thuribulum ducens, pannum seu lecticam thurificabit; deinde conversus ad altare, ex libro, super illud posito, in eodem cornu Epistolæ, dicet Versiculum *Et ne nos indúcas etc.* et alios Versiculos et Orationem, et in fine Versiculum *Réquiem ætérnam dona eis Dómine, etc.* et dicto per cantores Versiculo *Requiescant in pace*, Celebrans redibit in sacristiam, ad se exuendum.

CAPUT XXXVIII.

Episcopi ægrotantis, quæ cura et studia esse debeant. Fidei professionem emittat. A quo et quomodo sacrum Viaticum suscipiat. Veniam petat de negligentis coram Capitulo, Parochis et Curatis, et rursus Fidei professionem faciat. Comendet eis Ecclesiam et pauperes, et bonum Successorem adprecetur. Ecclesiæ res et scripturas manifestet. Viri religiosi ad ejus agonem assistant. Preces dicendæ statim ac vita excesserit. Quæ præstanda a familiaribus circa defuncti corpus. Induatur vestibus omnibus Pontificalibus violaceis. Ubi exponendum sit ejus cadaver. Religiosi mendicantes per ordinem in ejus funere vigiliis Defunctorum cantent, et Prior eorum absolutionem faciat. Ordo deferendi ejus corpus ad ecclesiam. Octava vel alia die exsequiæ cum quatuor Absolutionibus celebrentur. Processiones et preces habendæ pro futuro Successore. Ad nuntium novi Electi gratiæ Deo agendæ, et Hymnus *Te Deum* in Ecclesia cantandus.

Licet Episcopus, tamquam bonus pastor et diligentissimus villicus, omni tempore paratus esse debeat ad reddendam rationem Domino suo de ovibus sibi commissis et de suæ administrationis officio, id tamen diligentiori cura et studio peragere debet, dum ægrotat, quasi extremo vitæ suæ diei vicinior. Nam etsi semper mortis periculum mortalibus immineat, propinquiores tamen morti sumus dum ægrotamus.

2. Curet igitur Episcopus, ut quanto magis dignitate ceteris præest, et majori studio ultimum hujus vitæ actum, quo solo coronari electi solent, cum laude perficiat. Quod si dum ægrotat, tamquam homo, morbi periculum non agnosceret, medici, domestici, familiares, et præcipue ejus confessarius secreta et summa cum reverentia et caritate eum de discrimine vitæ, in quo versatur, moneant, et hortentur, ut voluntati divinæ non invitatus adhæreat, et quæ ad animæ salutem pertinent, peragere curet. Nam Episcopum decet, non solum verbo, sed etiam opere et exemplo usque ad extremum vitæ spiritum alios docere, et ad viam salutis dirigere. Medici vero et familiares, quæ ad corporis salutem pertinent, diligentissime curent, et polliceantur Episcopo, se, quantum humana potest industria, facturos, ut, si fieri poterit, pristinam sanitatem recuperet.

3. His verbis et hortationibus excitatus Episcopus ægrotans, vel, quod melius esset, sua sponte cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua confessario diligentissi-

me confiteatur, deinde tempore congruo sacrum petat Viaticum, et antequam communicet, indutus rochetto et stola, præsentem sanctissimo Christi Corpore, profiteatur catholicam fidem, ex formula ab Apostolica Sede præscripta, quam affirmet se semper inconcusse et firmiter tenuisse et credidisse, sequæ in ea velle vivere et mori, cum Deo placuerit.

4. Tum majori, qua poterit, devotione et humilitate, sacrum sumat viaticum, quod illi deferat prima Dignitas, comitante Capitulo et toto clero Cathedralis ecclesiæ in habitu ecclesiastico, et cum candelis accensis; et si fieri potest, Magistratus deferat baldachinum; moneatque Episcopus sacristam, seu curatum, ut cum tempus erit, extremæ Unctionis sacramentum sibi administret, et animæ commendationem faciat.

5. Convocet deinde Canonicos, Parochos et Curatos omnes, dum adhuc sensus corporis integri sunt, et coram eis profiteatur iterum catholicam fidem ex prædicta formula, petat veniam de negligentibus et imperfectionibus suis, et si quemquam umquam in sua administratione offenderit, roget, ut orent Deum omnipotentem pro anima sua; commendet illis Ecclesiam, pauperes, viduas, orphanos, et loca pia; memoret eis, ut donec de Successore provideatur, continuas preces ad Deum fundant, ut eis bonum Pastorem concedere dignetur, qui eos uberius, quam ipse fecit, pascere noverit.

6. Aperiat etiam eis debita et credita Ecclesiæ, si quæ sunt; et notificet scripturas, jura et actiones ejusdem Ecclesiæ; condat, si velit, et si habeat ab Apostolica Sede facultatem, testamentum, et eligat sibi sepulturam.

7. Cum vero hora mortis appropinquet, petat, ut sibi administretur extremæ Unctionis sacramentum et animæ commendatio fiat prout in Rituali Romano. Viri pii et religiosi continue assistant Episcopo animam agenti, cui crucem inspiciendam osculandamque crebro offerant; redigantque ei ad memoriam Passionem Domini Nostri Jesu Christi. Nec desint Religiosi et Sacerdotes, qui continue, dum adhuc expirat, Psalmos, Passionem Christi Domini et alias devotas orationes legant.

8. Postquam Episcopus spiritum Creatori reddiderit, Canonici, qui aderunt, singuli super eum Versiculum *A porta inferi etc.* cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.* recitabunt. Cubicularii vero et familiares ipsius Episcopi defuncti corpus aqua calida

cum vino et herbis odoriferis lavabunt et mundabunt; et si heredibus videbitur, poterit etiam aperiri et aromatibus condiri; quo casu intestina ejus statim sepeliantur in Ecclesia.

9. Sed licet corpus non aperiatur, omnino agendum et curandum est opportunis remediis, ut sine foetore usque ad præstitutum tempus sepulturæ servari possit.

10. Loto et terso corpore, clerici familiares, seu alii ecclesiastici viri, cum Magistro Cæremoniarum, induant illud primum vestibus ordinariis usque ad rochetum, deinde sacris vestibus, quibus vivens induebatur, dum solemniter erat celebraturus; hoc est caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, manipulo, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo et mitra simplici, ac etiam pallio, cum spinulis, si erit Archiepiscopus, vel alias utens pallio, et ponant super pectus ejus crucem aliquam, quam manibus teneat.

11. Corpus sic indutum donec præparetur lectus in aula majori, ut infra, ponatur super aliqua mensa, seu in terra super tapete, cum cereis ardentibus ad caput et pedes.

12. Interim ceteri Episcopi familiares, inferiores et famuli totam domum denudent, et in aula majori palatii, sive domus, præparent lectum ex tabulis altitudinis palmorum sex, longitudinis ad minus palmorum duodecim, et latitudinis palmorum decem, vel ad minus octo, et super illud ponatur stratum ex lana, seu palea plenum, et cooperiatur panno serico nigro, vel saltem laneo. Ad lecti pedes præparetur parva mensa mundo linteo cooperta, et super ea duo candelabra cum candelis accensis, liber Missalis, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicula et incenso, ac unum superpelliceum cum stola et pluviale nigrum ponatur.

13. Quibus omnibus sic paratis, corpus Episcopi defuncti, ut supra indutum, portetur in dicta aula, et super dicto loco collocetur, et ad pedes ejus ponatur pileus Pontificalis, floccis sericis viridibus ornatus, et hinc inde a lateribus ponantur scamna cum foraminibus pro funalibus, seu intorticiis ponendis circa corpus, vel saltem, illis deficientibus, collocentur quatuor candelabra alta, cum quatuor intorticiis ardentibus ad quatuor lecti angulos.

14. Circumcirca per totam aulam disponantur sedilia pro Canonicis, Clericis, Magistratu, Civibus et aliis qui venient ad honorandum funus.

15. Hora competenti, cum jam, si non omnes invitati ad funus, saltem eorum aliqui advenerint, Clerus sæcularis per ordinem, vel religiosi quatuor Ordinum Mendicantium, si in civitate adsint, qui invitari debent, vel alii per singula collegia, incipient vigiliis, hoc est Vesperas et Matutinum cum Invitatorio et tribus Nocturnis, ac Laudibus defunctorum.

16. Primi, idest inferiores, a quibus inchoandum est, nam ultimus locus dignioribus religiosis reservatur, inchoabunt Vesperas. Prior enim eorum, habens ante se legile cum libro, alta voce incipiet Antiphonam *Placébo Dómino*, quam ceteri ejusdem Religionis Fratres, qui prope funus ante alios hinc inde stare debent, prosequuntur: et, ea finita, sedentes recitabunt alternatim Psalmos Vesperarum cum Antiphonis duplicatis, prout fieri solet in officio duplici; et dum inchoantur Psalmi, eisdem fratribus, qui cantant, candelæ distribuendæ sunt, prout et ceteris, quando Nocturnos et Laudes cantabunt, ut infra.

17. Ad Canticum *Magnificat* surgunt omnes, et Prior illorum religiosorum, qui Vesperas cantaverunt, accedet ad mensam ad pedes lecti, et ibidem a Cæremoniario, vel aliis clericis, induetur superpelliceo, stola et pluviali, et imponet thus in thuribulum.

18. Finitis Cantico *Magnificat* et Antiphona, stans ibidem ad pedes lecti ante mensam prædictam, manibus junctis, dicet *Pater noster*; et interim accepto aspersorio de manu cæremoniarum, vel alterius clerici, incipiendo a parte sua dextera, asperget lectum, aspergendo ter in singulis lateralibus partibus tantum, et dum transibit ante Canonicos, illos capite aliquantulum inclinato salutabit. Et postquam reversus fuerit in eodem loco apud mensam, reddito aspersorio, capiet de manu ejusdem cæremoniarum vel alterius clerici thuribulum, et lectum similiter eodem modo thurificabit: quo facto, stans ante prædictam mensam, reddito thuribulo et habens ante se librum apertum, ex eo leget Versiculos et Orationem infra-scriptam, videlicet

∮. *Et ne nos indúcas in tentatiónem.* R̄. *Sed libera nos a malo.*
 ∮. *Al porta inferi.* R̄. *Erue Dómine ánimam ejus.* ∮. *Requiescat in pace.* R̄. *Amen.* ∮. *Dómine exáudi oratióem meam.* R̄. *Et clamor meus ad te véniat.* ∮. *Dóminus vobiscum.* R̄. *Et cum spiritu tuo.*

Orémus. *Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes etc.* R̄. *Amen.*
 Deinde dicit Versiculum *Réquiem ætérnam etc.* Demum duo ex fra-

tribus cantantibus subjungunt *Requiescat in pace*, et ceteri respondebunt *Amen*.

19. Finitis Vesperis, Religiosi, qui illas cantarunt, discedunt, et vocantur alii Religiosi, qui Matutinum, hoc est, Invitatorium cum tribus Psalmis primi Nocturni et Lectionibus cantabunt; et dum cantatur Invitatorium, usque ad initium primi Psalmi, omnes stare debent.

20. Finitis Psalmis primi Nocturni, duo cantores, sive duo ex Fratribus, qui Nocturnum cantarunt, annuntiant Versiculum *A porta inferi*, et respondetur *Erue Dómine ánimam ejus*; quo dicto omnes surgunt. Tunc unus ex eisdem Religiosis, Lectionem cantaturus, accedit ad pulpítum, seu legile, et secreto dicto ab omnibus *Pater noster*, quod totum sub silentio completur, omnes sedent, ipse Lectionem incipit, et ea finita, cantores cantant Responsorium, et alii duo ex eadem Religione cantant secundam et tertiam Lectionem.

21. Finita última Lectione, dum cantatur tertium Responsorium, Prior ejus Religionis, quæ Nocturnum cantavit, accedit ad mensam, induitur superpelliceo, stola et pluviali; et cum dicitur Versiculus *Réquiem ætérnam etc.* imponit thus in thuribulum: et in fine, cum dicitur *Kýrie eléison*, surgunt omnes, et Prior dicat *Pater noster*, aspergat et thurificet lectum, ut supra in Vesperis, et cantet eosdem Versiculos et Orationem, ut supra dictum est.

22. Quo facto, alii Religiosi vocentur, et cantent similiter secundum Nocturnum: et eo finito, alii, qui cantent tertium eodem modo et forma, prout de primo dictum est. Demum ultimi et digniores Religiosi cantent Laudes eadem forma prout decantatæ fuerunt Vesperæ, et ad *Benedictus* et Orationes etc. omnes surgant, ut supra.

23. Quod si non adessent tot Religiones, quæ possent distincte Vesperas, et Nocturnos, et Laudes prædictas decantare, posset una cantare duos Nocturnos, vel plures: sed omnino in fine Vesperarum, cujuslibet Nocturni, et Laudum aspergendus, et thurificandus est lectus, et dicendi Versiculi et Orationes, ut supra. Et e contra, si essent plures Conventus et Religiones, poterunt duo simul cantare unum Nocturnum, et alii alia, prout melius videbitur.

24. Dum cantantur Laudes, paretur feretrum: et illis finitis, ponatur corpus Episcopi defuncti super feretrum, et præcedentibus omnibus Religiosis et clero, ordine suo, ad ecclesiam deducetur;

feretrum autem portabitur per Sacerdotes, cottis indutos. Canonici feretrum immediate præcedant, Magistratus vero, cum ceteris omnibus invitatis et de civitate, sequantur.

25. Prædictum feretrum collocetur in medio ecclesiæ, et ibidem Prior, seu dignior Canonicorum, vel prima Dignitas, si adsit, indutus pluviæ, faciet Officium, hoc est, dicet ad pedes feretri *Pater noster*, imponet thus, asperget et thurificabit, ut supra, et demum cantabit Versiculos et Orationem supradictam. Quo facto cantetur Missa pro ejus anima (curæ namque sit cæremoniariis, ut cadaveris delatio in ecclesiam semper de mane fiat) et in fine solitæ Absolutiones habeantur, ut in Pontificali; hisque expletis, defuncti corpus de more, summa qua decet reverentia, sepeliatur.

26. Si vero id tempus et hora non ferant, octavo die, vel quando (non ultra tamen diem trigesimum) heredibus et exsecutoribus defuncti placuerit, in ecclesia celebrentur Exsequiæ cum quatuor Absolutionibus, et omnibus cæremoniis, quæ supra expressæ sunt in hoc eodem cap. XI. de Missa Pontificali pro Defunctis.


27. Sepulto Episcopo, donec de novo Successore provisum fuerit, preces ad Deum continue offerendæ sunt pro opportuna novi Episcopi electione impetranda: et conveniret, ut singulis diebus, vel saltem semel in hebdomada, Religiosi processionaliter ad ecclesiam Cathedralis accederent, Litanias cantantes, et ibidem pias et devotas orationes recitarent, cum Canonicis et clero ejusdem ecclesiæ Cathedralis, ut Deus illis quamprimum concedere dignetur novum et bonum pastorem, qui ecclesiam regere et animarum curam digne et fructuose habere valeat et possit.

28. Qua electione obtenta, quamprimum de ea nuntium certum habuerint, singuli Religiosi ad ecclesiam Cathedralis accedentes, Deo gratias agent, et Hymnum *Te Deum etc.* devote cantare poterunt in ecclesia.


CAPUT XXXIX. ET ULTIMUM.

Qua vocis modulatione confessio per Diaconum post sermonem recitanda sit. Forma Indulgentiæ publicandæ per sermocinantem, ac benedictionis ab Episcopo post ipsum sermonem impertiendæ.


Statim finito sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum gradum solii, conversus ad Episcopum stantem cum mitra, capite inclinato, cantabit confessionem in tono, prout habetur in Rituali Romano, et dum dicit *Tibi Pater*, et *Te Pater*, si fuerit Canonicus, profunde se inclinabit, si non fuerit Canonicus, genuflectet.




Confi-te-or De-o omni-po-ténti, be-á-tæ Ma-ri-æ semper



Virgi-ni, be-á-to Micha-é-li Archánge-lo, be-á-to Jo-ánni




Ba-pti-stæ, sanctis A-pósto-lis Pe-tro et Pau-lo, ómni-bus




Sanctis, et ti-bi Pa-ter:

Quod dum dicit genuflectit, vel se inclinat, coram Pontifice ut supra: tum surgit, et continuat:



Qui-a peccá-vi ni-mis co-gi-ta-ti-ó-ne, ver-bo et ó-pe-re: me-a



culpa, me- a culpa, me- a má- xi- ma culpa. Id- e- o pre- cor
 be- á- tam Ma- ri- am semper Vir- gi- nem, be- á- tum Micha- é- lem
 Archánge- lum, be- á- tum Jo- ánnem Bapti- stam, sanctos A- pósto- los
 Petrum et Pau- lum, omnes Sanctos, et te Pa- ter, o- rá- re pro
 me ad Dó- mi- num De- um nostrum.

2. Finita confessione per Diaconum, Episcopus sedet, et sermoinator, qui in pulpito, dum cantatur confessio, genuflectet; surgens publicabit Indulgentiam in forma sequenti, videlicet:

Reverendissimus in Christo Pater et Dóminus N. Dei et Apostólicæ Sedis grátia hujus sanctæ Ecclesiæ Episcopus, dat et concedit ómnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgéntia in forma Ecclesiæ consuéta. Rogáte Deum pro felici statu Sanctíssimi Dómini Nostri N. Divína providéntia Papæ N., Dominatiónis suæ Reverendíssimæ, et sanctæ Matris Ecclesiæ.

3. Publicata Indulgentia, Episcopus, deposita mitra, surget, et leget ex libro, per ministrum de eo servientem, supra caput sustentato, in tono Orationis versus ad populum, ut infra, videlicet:

Précibus, et méritis Beátæ Mariæ semper Virgínis, Beáti Michaélis Archángeli, Beáti Joánnis Baptistæ, Sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et ómnium Sanctórum, misereátur vestri omnipotens Deus, et dímissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

R. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem, et remissionem peccatórum vestrórum, tríbuat vobis omnipotens, et miséricors Dóminus. R̄. Amen. Deinde, reassumpta mitra, benedicens populo, more consueto, dicit *Et benedictio Dei omnipoténtis Pa + tris, et Fi + lii, et Spiritus + Sancti descéndat super vos, et máneat semper.*

R̄. Amen.

4. Si autem erit Archiepiscopus, statim, publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum crucem, quam genuflexus tenebit, et Archiepiscopus surgens deposita mitra, prius cruci caput profunde inclinabit, et deinde adhuc stans, prosequetur *Précibus etc.* et sic detecto capite, solemniter benedicet.

LIBER TERTIUS

SEU

LEGES, ET INSTITUTA CÆREMONIALIA PRO PROVINCIARUM
PRÆSIDIBUS, GUBERNATORIBUS, PRÆLATIS, ET APOSTOLI-
CIS VICELEGATIS

CAPUT I.

Quomodo se gerere debeat Præses aut Gubernator seu Vice-Legatus in primo accessu ad suam Provinciam vel Civitatem: et quid, dum in ea permanebit, erga illarum Antistites.

Statim ac Præses vel Gubernator Prælatus venerit in provinciam vel civitatem temporali suæ jurisdictioni demandatam, digniorem de sua familia mittet ad Archiepiscopum sive Episcopum inibi residentem, adventum suum patefaciendo, simulque significando se curaturum quamprimum, ut eum solemniori, qua poterit forma, publice visitatum adeat.

2. Officio perhumaniter accepto, non immorabitur Antistes hanc Præsidis seu Gubernatoris publicam visitationem prævenire, invisens illum privatim amiceque sub noctu brevioribus indutus vestibus nigri coloris, ac inter eundem, ut quælibet Nuntii forma devitetur, sciscitari dumtaxat curabit, an domi existat; quo comperto, ascendet ad illum, qui eodem prorsus habitu erit indutus. In discessu recuset omnino familiarium atque luminum comitatum, ut privatæ visitationis assumptam methodum non excedat.

3. Præses autem vel Gubernator pari sub forma Archiepiscopum seu Episcopum continuo revisitabit, quamvis paucos post dies de hoc eodem visitationis actu sit ei publice et solemniter satisfactorus.

4. Imminente itaque publicæ visitationis die, Præses aut Gu-

*Indulgéntiam, absolutiónem, et remissionem peccatórum i
strórum, tribuat vobis omnípotens, et miséricors Dóminus. Ky. Ame*
Deinde, reassumpta mitra, benedicens populo, more consueto, dicit
*Et benedictio Dei omnipoténtis Pa + tris, et Fi + lii, et Spíritus
Sancti descéndat super vos, et máneat semper.*

Ky. Amen.

4. Si autem erit Archiepiscopus, statim, publicata Indulgent
Capellanus portabit ante illum crucem, quam genuflexus tenebit,
Archiepiscopus surgens deposita mitra, prius cruci caput profur
inclinabit, et deinde adhuc stans, prosequetur *Précibus etc.* et
detecto capite, solemniter benedicet.

LIBER TERTIUS

SEU

LEGES, ET INSTITUTA CÆREMONIALIA PRO PROVINCIARUM
PRÆSIDIBUS, GUBERNATORIBUS, PRÆLATIS, ET APOSTOLI-
CIS VICELEGATIS

CAPUT I.

Quomodo se gerere debeat Præses aut Gubernator seu Vice-Legatus in primo accessu ad suam Provinciam vel Civitatem: et quid, dum in ea permanebit, erga illarum Antistites.

Statim ac Præses vel Gubernator Prælatu venerit in provinciam vel civitatem temporali suæ jurisdictioni demandatam, digniorem de sua familia mittet ad Archiepiscopum sive Episcopum inibi residentem, adventum suum patefaciendo, simulque significando se curaturum quamprimum, ut eum solemniori, qua poterit forma, publice visitatum adeat.

2. Officio perhumaniter accepto, non immorabitur Antistes hanc Præsidis seu Gubernatoris publicam visitationem prævenire, invisens illum privatim amiceque sub noctu brevioribus indutus vestibus nigri coloris, ac inter eundem, ut quælibet Nuntii forma devitetur, sciscitari dumtaxat curabit, an domi existat; quo comperto, ascendet ad illum, qui eodem prorsus habitu erit indutus. In discessu recuset omnino familiarium atque luminum comitatum, ut privatæ visitationis assumptam methodum non excedat.

3. Præses autem vel Gubernator pari sub forma Archiepiscopum seu Episcopum continuo revisitabit, quamvis paucos post dies de hoc eodem visitationis actu sit ei publice et solemniter satisfactorus.

4. Imminente itaque publicæ visitationis die, Præses aut Gu-

bernator illam Archiepiscopo sive Episcopo, mane pro vespere, et vesperi pro subsequenti mane renuntiabit; et dum ad Episcopale Palatium se transferet, in limine portæ familiares, in summitate vero scalarum Antistitem ipsum, qui aliquos etiam gradus descendet, obviam habebit. Sicque comiter exceptus ad dexteram ipsius Antistitis in audientiae aulam introducetur. Hinc, postquam ambo in æqualibus sedibus e regione locati assidentes mutuis sese officiorum colloquiis ad libitum recreaverint, discedentem Præsidem aut Governatorem Archiepiscopus vel Episcopus usque ad finem scalarum comitabitur, familiares vero ipsius ad currum usque, non recessuri donec Præses seu Governator prorsus abierit.

5. Præmisso item nuntio, ut dictum est supra, diutius haud differet Archiepiscopus sive Episcopus, publicam restituere visitationem Præsidi seu Governatori, qui occurrendo tam per se, quam per familiares, sedendo et comitando adamussim ea omnia servabit, quæ idem Archiepiscopus aut Episcopus in ejus visitatione secum peregerat.

6. Quod si, residente jam Præsidi in Provincia vel Governatore in Civitate, ad eum primo accesserit novus illius ecclesiae Antistes; tunc istius erit ante de adventu suo certiolem reddere Præsidi ipsum vel Governatorem, qui hujusmodi recepto officio visitabit quantocius eum non jam private, sed enuntiata visitatione sub forma publica: et ita ab Archiepiscopo sive Episcopo subinde revisetur.

7. Advenientibus Natalitiis Domini Feriis, Præses aut Governator perget primus ad Archiepiscopum sive Episcopum, ut illas ei faustas felicesque adprecetur; nec prætereundum quidquam tunc erit ex iis, quæ de prima publica visitatione dicta sunt. Idemque præstabit Archiepiscopus seu Episcopus, quando Præsidi aut Governatorem hoc nomine vicissim erit prosequeuturus.

8. Quamquam superius statutum sit, quod Archiepiscopus aut Episcopus domi ponere debeat a dextris Præsidi seu Governatorem, secus tamen extra domum servabit: quia semper et in quocumque tertio loco cum ipse, tum ceteri Provincie Antistites dexteram supra Præsidi vel Governatorem retinebunt.

9. Quæ hactenus pro Præsilibus et Governatoribus præscripta fuere, a Vice-Legatis etiam tam erga Archiepiscopum quam Episcopos non Cardinales in locis eorum ditioni subjectis erunt omnino adimplenda.

CAPUT II.

Quo habitu induti Archiepiscopi seu Episcopi, et Præsides sive Gubernatores mutuo publicas Visitationes exsequuntur.

Quoliescumque Archiepiscopus vel Episcopus ad Præsidem seu Gubernatorem diverterit, ut eum visitet in forma publica, sive ut in executionem pro prima tantum vice Litterarum Apostolicarum, oratorium privatum in palatio præfatorum Præsulum de novo erigendum approbet: supra talem vestem capiet mozzettam cum rochetto discooperto. Et domi eodem utetur habitu, dum accedentem ad se pro enuntiatis publicis visitationibus Præsidem seu Gubernatorem aut Vice-Legatum suscipiet.

2. Archiepiscopus autem utens Cruce nullatenus illam ante se deferri permittet in consimilibus actibus.

3. Talari etiam veste, rochetto et mantelletto amictus erit Præsides sive Gubernator vel Vice-Legatus publice invisens Archiepiscopum seu Episcopum; et quando eum pro publica visitatione aliave de causa in publica forma advenientem excipere debet.

CAPUT III.

De accessu Præsidis aut Gubernatoris una cum Archiepiscopo seu Episcopo cappa induto, ad Metropolitanam vel Cathedralis ecclesiam pro publicis solemnibus functionibus explendis.

Annuis solemnioribus festis diebus recurrentibus, qui in *cap. I. libri II. hujus Cæremonialis* enumerantur, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ vel Cathedralis, sancti Titularis illarum Ecclesiarum, et Patroni Civitatis, vel Festivitatibus aliis extraordinariis juxta peculiare locorum mores et circumstantias, pari cum solemnitate celebrandis: Præsidis vel Gubernatoris erit sub hora ab Archiepiscopo seu Episcopo designata, et per certum nuntium ei patefacta,

una cum Magistratu se conferre intra januam Episcopii. Eo quidem tempore, et nulla prorsus interposita mora Antistitem gradus scalæ descendentem adveniet, quem post debita urbanitatis verba vicissim expleta, ipso Magistratu præeunte, usque ad portam sive Metropolitanæ sive Cathedralis ecclesiæ comitabitur Præses seu Gubernator, semper ad ejus sinistrum latus incedendõ.

2. Cum ambo in limine præfati ostii steterint, accipiet Archiepiscopus sive Episcopus aspersionum, et postquam se lustrali aqua munierit, de illa primum porrigit per contactum aspersioni ipsi Præsidi vel Gubernatori: sicut ante ingressum cujuscumque alterius ecclesiæ, aut privati oratorii, pariter cum eo semper faciet: ac deinde Capitulum, Magistratum et circumstantem populum asperget.

CAPUT IV.

De adoratione augustissimi Sacramenti, atque inde progressu ad Altare majus; ubi de loco et sella Præsidis seu Gubernatoris, aut Vice-Legati: ac de recessu a Metropolitana vel Cathedrali, sacris actionibus absolutis.

Archiepiscopus sive Episcopus aspersione completa, eo, quo venerat ordine, Eucharisticum Sacramentum in ejus altari adoratam simul cum Præsidente vel Gubernatore progreditur. Intra capellam, ubi illud asservari solet, genuflectent ambo: Antistes super ligneo scabello (quod genuflexorium vocitatur) ante altare accommodato, panno viridi seu violaceo pro qualitate temporum cooperto, appositis pulvinaribus superius et inferius: Præses autem vel Gubernator in alio genuflexorio ex latere Evangelii præparato, violacei semper coloris panno, ac pulvinaribus instructo: non in æquali linea, sed per transversum locato: ac tali forma ut illud Archiepiscopi sive Episcopi respiciat; ad Præsidis autem vel Gubernatoris dexteram erit Magistratus directo ordine super pulvinaribus tantum genuflexus.

2. Post debitam Sacramenti venerationem, præstituto jam ordine procedetur ad altare majus: parum distans ab eo Archiepiscopus sive Episcopus mutuis consalutationibus sese dividet a Præsidente vel Gubernatore, qui, dum ille iterum oraturus ad suum faldistorium, ut in eo procumbat, accesserit, petet et ipse residentiam suam hacce sub forma comparatam.

3. Prope, et inter Solium Pontificale, ac immobile consuetum scamnum pro Magistratu constituetur suppedaneum; unicus nempe ligneus gradus, in cuius planitie decens sedes cameralis collocabitur. A tergo autem ipsius sellæ attolletur postergale non præaltum plusquam palmorum septem aut octo, nec latum magis quam sex, quod panno coloris violacei, nulla auri argentive textura sive ornatu distincto, contegetur. Ante præfatam sedem congruum insuper apponetur genuflexorium, tapete et pulvinaribus enuntiati violacei coloris non absimiliter stratum, super quo Præses aut Gubernator queat submittere genua. Haud tamen stabilis umquam, fixaque detinebitur inibi hujusmodi residentia, sed sicut opportune apponenda, quoties Præses vel Gubernator sacris erit interfuturus actionibus, ita singulis vicibus illico removenda, functionibus ipsis expeditis.

4. Quando pro concionibus commodius audiendis, Archiepiscopo vel Episcopo discedendum erit a sua pontificali cathedra fixa ut propiorem locum e conspectu suggesti comparatum adeat; tunc si pro ipso Archiepiscopo seu Episcopo solium cum umbella fuerit ibidem erectum; pariter et pro eodem Præsidente seu Gubernatore supradescriptum postergale cum gradu et sella præstabitur. Si autem baldachinum nequaquam fuerit Antistiti exhibitum, tali casu parabitur absque postergali dumtaxat sella, alteri Antistitis prorsus uniformis ac similis.

5. Quoniam vero juxta diversas locorum consuetudines contingere potest, ut seorsum ab Archiepiscopo aut Episcopo, vel ipso etiam astante, Præses seu Gubernator, Divinis cum Magistratu interfuturus, ad aliquam ecclesiam a Cathedrali seu Metropolitana alienam divertere debeat; in hac etiam erit tunc præfata residentia pro Præsidente vel Gubernatore comparanda, modo sit in illa pariter erectus et comparatus thronus pontificalis pro Archiepiscopo sive Episcopo; adeo ut, non erecto pontificali solio, neque residentia umquam sit attollenda.

6. Ea tamen uti poterit Præses vel Gubernator, quoties aliqujus thesis disceptationi, aut literariis lusibus, consimilibusque publicis actibus tamquam præcipuus et principalis Patronus præerit, licet eo tempore nec apponendus umquam sit thronus pro Archiepiscopo seu Episcopo.

7. Post exactas sacras functiones, quibus una cum Archiepiscopo sive Episcopo cappa induto astiterit Præses vel Gubernator,

repetendo augustissimi Sacramenti altare pro fundendis in gratiarum actionem novis precibus ante illud, quidquid de primo accessu statutum fuit, ad unguem servabitur. Nullatenus tamen in discessu sinet Archiepiscopus seu Episcopus, se a Præside vel Gubernatore rursus perducere usque ad januam proprii palatii, sed ab illo comitatus accipiet in limine ipsius ecclesiæ.

CAPUT V.

De Thure ac Pace Præsidi seu Gubernatori aut Vice-Legato deferendis, ac insuper de loco eorum pro accipiendis candelâ, cineribus et palma; nec non de adoratione crucis feria sexta in Parasceve.

Circa thus et pacem omnimodè servabitur dispositio Cæremonialis Episcoporum, et Præsides vel Gubernatores sive Vice-Legati numquam erunt thurificandi a Presbytero, Archiepiscopo sive Episcopo assistente, qui Antistitem ipsum in Vesperis officium facientem, aut iis, vel solemnibus ab alio celebratis Missis, apud solium astantem thurificabit: sed duplici ductu ipsum Præsidem seu Gubernatorem aut Vice-Legatum post tres Canonicos in eodem solio assistentiam Archiepiscopo vel Episcopo exhibentes, atque una cum eo individuum corpus efformantes, solum debet incensare minister ille, cui subinde ceteros Canonicos de choro, licet sacris indutos paramentis, inerit onus thurificandi. Et iste modus et ordo quoad locum et personam servabitur in delatione pacis; eam etenim Præsides vel Gubernatores aut Vice-Legati recipiet ab eo, qui distributurus mox erit illam enuntiatis Canonicis in choro existentibus.

2. Candelam in die Purificationis et palmam in distributione earum Præsidi seu Gubernatori aut Vice-Legato dabit ipsemet Archiepiscopus sive Episcopus statim ac, propria recepta, alteram reddiderit digniori Canonico parato, a quo ipse suam prius receperat. Præsides autem aut Gubernatores seu Vice-Legati, cum ascenderit ad Archiepiscopum vel Episcopum, ut ab illo candelam seu palmam accipiat, non genuflectet, sed stans ipsam capiet cum debitis osculis tum illius, tum manus Archiepiscopi sive Episcopi eam sibi porrigentis.

3. Stans pariter recipiet cineres ab Archiepiscopo vel Episco

po, postquam hic eos imposuerit Canonico in illa die Missam cantaturo.

4. Feria sexta in Parasceve, non celebrante Episcopo, Præses vel Gubernator aut Vice-Legatus ad Canonici officium facientis sinistram incedendo ad adorandam crucem procedet. Episcopo vero celebrante, ibit immediate post eum ante omnes Dignitates et Canonicos.

CAPUT VI.

De generali Communione Feria quinta in Coena Domini, quoad habitum, locum et ritum Præsidis seu Gubernatoris vel Vice-Legati.

Quando Præses aut Gubernator vel Vice-Legatus sit in Sacro Presbyteratus seu Diaconatus ordine constitutus; quia multum decet et convenit, ut cum aliis eo die communicet; adventante Communionis tempore, cottam superinduet rochetto, cum stolam sumere, et a collo vel ab humero sinistro pendentem etiam habere debeat. Communionem primus omnium accipiet, et manum Archiepiscopi sive Episcopi ante illam osculabitur.

2. Si autem neutro fuerit caractere insignitus, cunctorum primus pariter ad communicandum procedet, rochetto et mantelletto tantummodo indutus.

CAPUT VII.

De mutuis reverentiis inter Ecclesiarum Antistites, et Præsidem sive Gubernatorem aut Vice-Legatum: deque salutatione Concionatoris erga alterutrum.

Pontificalis salutatio regulariter inter sacras actiones in eo consistit, ut manu aperta singulis benedicat: nihilominus, ut a communi ceterorum fidelium coetu velut filiorum spiritualium Antistiti subjectorum distinguatur Præses sive Gubernator vel Vice-Legatus: sicut erga Canonicos servari jubet hoc Cæremionale *libro I. cap. XVIII.* oportebit, ut Archiepiscopus seu Episcopus capitis inclinatione Præsidem vel Gubernatorem aut Vice-Legatum salutet, quoties ad sedem suam ascendere, seu ab illa descendere incipiet: eique Præses sive Gubernator vel Vice-Legatus protinus

bireto deposito assurgens mutuam rependet salutationem, caput similiter inclinando.

2. Verum enim vero in hujusmodi consalutationibus exsequendis regula in supracitata capite designata omnino erit attendenda, videlicet: ut dignitate gradus minime attenda, sed præ oculis actionis modo, et commodo dumtaxat posito, reverentia semper fiat a quo disceditur, et ultimo ei, ad quem itur: nullo habito respectu quis eorum sit major. Sicque quælibet præeminentiarum, et præcedentiarum discrepantia, quæ forsitan Canonicos inter et enuntiatos Præsules fuisset umquam exorta, prorsus dirimetur.

3. Quos quidem reverentiales mutuos actus omittere necesse erit in Matutinis Tenebrarum, per integram Feriam sextam in Parasceve, ac Sabbato Sancto usque ad solemnem Missam exclusive: sicut etiam in singulis Mortuorum Officiis, quæ obvenire fortasse poterunt. Consentaneum quippe hoc erit legi et praxi usque adhuc servatæ, abstinendi in præfatis conventibus etiam a benedictionibus tum solemnibus, tum privatis, et cleri inferioris, et populi circumstantis, utpote quæ sunt actus potestatis et solemnitatis, luctuosis hisce actionibus repugnantes.

4. Concionator vero salutationem hujusmodi numquam prætermittet, sive eadem Feria sexta in Parasceve sermonem de Passione, sive de Laudibus alicujus Defuncti post mortualem Missam sit factururus: prout *libro II. cap. XI. et XXV.* super utroque casu decernitur; et ideo post illam primo loco debitam Episcopo vel Archiepiscopo, speciatim versus Præsidem seu Governatorem aut Vice-Legatum reverentiam aliam semper faciet.

CAPUT VIII.

Præsidi vel Governatori in inessu variatur locus, quando Episcopus vel Archiepiscopus fuerit sacris Paramentis indutus.

Quod in superiori capite tertio stabilitum fixumque fuit circa locum Præsidis seu Governatoris accedentis cum Episcopo sive Archiepiscopo ad ecclesiam, et ab altari augustissimi Sacramenti divertentis ad principem aram, ut scilicet ad sinistram ipsius Antistitis incederet, est solummodo intelligendum, quando Archiepiscopus vel Episcopus fuerit sola cappa pontificali indutus.

Nam de cetero, si sacris indumentis exornatus processerit, sive ut Deo sacrificium offerat, sive ut publicis solemnibusque supplicationibus cum pluviali intersit, ibit Præses aut Gubernator in habitu suo ordinario, hoc est mantelletto supra rochetum, non amplius ad sinistram, sed immediate post Archiepiscopum seu Episcopum.

CAPUT IX.

De Archiepiscopi sive Episcopi discessu in Ecclesiam per scalam interiorem et privatam portam.

Si ob aeris intemperiem, aut peragendarum functionum qualitatem, seu ob aliam quamcumque causam, aptiorem commodioremque adjudicaret Antistes descensum in Metropolitanam seu Cathedralē, tam obeundi gratia omnes illas sacras actiones a Cæremionali circumscriptas, quam alias ab eo minime definitas, per scalam interiorem Palatii in ipsamet Ecclesiam porrigentem; Præsidis aut Gubernatoris tunc erit, præstituta sub hora una cum Magistratu ad eam accedere, et in illa Antistitem jam cappa indutum, descendentem officiosis verbis excipere, ac subinde comitari, prout supra fusius explicatum est. Quæ quidem obviatio a solo etiam Magistratu erit explenda, Præsidi aut Gubernatore absente.

CAPUT X.

Quo accedere debeat Magistratus, ut Archiepiscopo seu Episcopo inserviat, absente Præsidi vel Gubernatore; ac generatim de loco illius in incessu, adsit vel absit Præses aut Gubernator.

Magistratus sæcularis, quotiescumque legitimo impedimento detentus abfuerit Præses vel Gubernator, non ad ostium Episcopi tantum, sed superius ascendere debet in aulam seu cubiculum ab Archiepiscopo vel Episcopo ad hoc destinatum: atque ibi præstolari, ut eum, postquam fuerit opertus cappa, progredientem ad ecclesiam comitetur et deducat; procedetque immediate ante illum, sit quidem præsens aut absens Gubernator aut Præses.

2. Quod si fuerit Archiepiscopus utens cruce, tunc Magistra-

tus ibit immediate ante ipsam crucem. Nullus enim inter eam et Archiepiscopum incedere debet, cum sit peculiare ipsius insigne.

CAPUT XI.

Quid si Archiepiscopus vel Episcopus Cardinalitia præstet dignitate?

Si Archiepiscopus sive Episcopus non pontificali dumtaxat refulgeat potestate, sed præter hanc Cardinalatus supereminet dignitate, quoties Eminentia Sua erit descensura in ecclesiam, tempestive Præses aut Gubernator aderit in ejus aula, seu cubiculo præsignato, ut in illius obsequiis comitatuque sit, cum progredietur: et tunc præeunte omnino Magistratu, permittet Cardinalis, ipsum Præsidentem aut Gubernatorem ad sui sinistram incedere.

2. In limine Ecclesiæ, postquam Cardinalis Episcopus seu Archiepiscopus lustrali se aqua signaverit, aspersionem tangendum porrigit Præsidi vel Gubernatori, qui deinde apud augustissimi Sacramenti aram genuflectet super unico tantum pulvinari, quod ei præstabitur in terra post Eminentiam Suam in consueto genuflexorio procumbentem.

3. Postergali prorsus amoto, residentia pro ipso Præsidente vel Gubernatore apud altare majus relinqui poterit quoad cetera ornatus genera, prout in *cap. IV.* describitur.

4. Si audiendi causa Conciones exegerit commoditas, ut pro Cardinali alius aptetur locus sermocinatio propinquior, Eminentie Suae præstanda quidem erit prænobilis sedes supra ligneum gradum tapete contactum, non omisso, ut desuper dependeat Baldachinum. At Præsidi sive Gubernatori nil aliud quam inferior sella super nudo pavimento, et aliquantulum post illam Cardinalis locata, exhibebitur.

5. Consueta Concionatoris reverentia unice ad ipsum Cardinalem dirigitur: quod generatim et universe ab aliis etiam, sermonem quacumque de causa habentibus, præsentem Cardinali, erit inconcussa adimplendum.

6. Sacris actionibus expeditis, nisi aliter Archiepiscopo seu Episcopo Cardinali visum fuerit, et Præses vel Gubernator, et Laicus Magistratus Eminentiam Suam iterum comitabuntur ad Camera usque sive cubiculum, unde procedentem susceperant.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI

	<i>pag.</i>
Cap. I. De habitu, et aliis agendis per Episcopos nuper electos	1
Cap. II. De primo accessu Episcopi, vel Archiepiscopi ad suam Dioecesim, vel Provinciam	2
Cap. III. De habitu ordinario Archiepiscopi et Episcopi in sua Provincia, Dioecesi, vel Civitate	6
Cap. IV. Quomodo se gerere debeat Episcopus, vel Archiepiscopus circa benedictiones, et alia Episcopalia munia in sua Dioecesi, vel Provincia: et quid si Legatus Apostolicus, aut Cardinalis non Legatus, vel Nuntius, aut aliquis Praelatus ibidem sit	8
Cap. V. De Officio Magistrorum Caeremoniarum	11
Cap. VI. De Officio Sacristae	14
Cap. VII. De Officio Presbyteri assistentis, tam in Vesperis, quam in Missis	16
Cap. VIII. De assistentia duorum Canonicorum in habitu Diaconi, Episcopo celebrante, vel eo non celebrante, in habitu ordinario	20
Cap. IX. De Officio Diaconi in Missa solemnī, Episcopo celebrante	23
Cap. X. De Officio Subdiaconi in eadem Missa Pontificali solemnī	28
Cap. XI. De numero, qualitate, et officio ministrorum servientium Episcopo in divinis, videlicet de libro, de candela, de Baculo, de Mitra, de thuribulo, de candelabris, de ampullis, et de abaco	31
Cap. XII. De ornatu Ecclesiae, et de praeparandis in ea ante adventum Episcopi	35
Cap. XIII. De sedibus Episcopi, Legati, Cardinalium, Praelatorumque, nec non Principum, Magistratum, virorumque illustrium in Ecclesiis collocandis, ordinandisque	42
Cap. XIV. De usu umbraculi, seu baldachini	45
Cap. XV. De habitu Ecclesiastico Episcopi et Canonicorum, et de accessu ad Ecclesiam et reditu eorumdem	46
Cap. XVI. De Pallio et ejus usu	49
Cap. XVII. De Mitra et Baculo pastoralī	51
Cap. XVIII. De reverentiis et genuflexionibus, sessionibus, et assurgendi modis, observandis tam per Episcopum et Canonicos, quam per alios quoscumque, sive in Ecclesia, sive extra eam: et de osculationibus manuum Episcopi vel Celebrantis	53
Cap. XIX. De ordine et modo jungendi, disjungendi, elevandi, tenendique manus per Episcopum, vel alterum Celebrantem; et quomodo vertere et convertere se debeat ad Altare, vel Faldistorium, et e contra: et de osculatione Altaris	56
Cap. XX. De libro tenendo apud Episcopum non celebrantem, sed in Vesperis, aut in Missa solemnī praesentem; et quid ex eo legere debeat	58
Cap. XXI. De circulis infra Missam solemnem, quae coram Episcopo celebratur, faciendis ante Episcopum, qualiter, et quoties	59
Cap. XXII. De concionibus, seu sermonibus infra Missam solemnem habendis, seu post Missam in funere Episcopi aut alicujus magni viri; et de habitu sermocinantis	61

	<i>pag.</i>
Cap. XXIII. De ordine et modo imponendi thus in thuribulum, illudque benedicendi; et de thurificatione in Vesperis et Missa solemnibus	63
Cap. XXIV. De ordine dandi Pacem	71
Cap. XXV. De forma dandi Benedictionem solemnem ab Episcopo et publicandi Indulgentiam, ubi, quoties, et quando	73
Cap. XXVI. De supplendis vicibus Canoniorum, aliorumque ministrorum deficientium	76
Cap. XXVII. De orationibus, seu collectis, et diversis earumdem tonis	78
Cap. XXVIII. De organo et organista, et musicis seu cantoribus, et norma per eos servanda in divinis	82
Cap. XXIX. De Missa, quae sine cantu ab Episcopo celebratur	85
Cap. XXX. De Missa, quae sine cantu coram Episcopo celebratur in locis suae jurisdictionis	87
Cap. XXXI. De ritibus et caeremoniis observandis in Synodo Provinciali vel Dioecesana	88

LIBRI SECUNDI

Cap. I. De Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo	93
Cap. II. De Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum non celebraturo	98
Cap. III. De Vesperis in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis, solemniter celebrandis	100
Cap. IV. De Completorio	104
Cap. V. De Matutinis, praesente Episcopo	105
Cap. VI. De Matutinis in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, absente Episcopo	108
Cap. VII. De Laudibus, reliquisque Horis Canonicis	111
Cap. VIII. De Missa solemnium, Episcopo celebrante	112
Cap. IX. De Missa solemnium, quae coram Episcopo celebratur	131
Cap. X. De Vesperis et Matutinis pro Defunctis	133
Cap. XI. De Missa Pontificali pro Defunctis, per Episcopum celebranda, et de sermone et Absolutione post Missam	135
Cap. XII. De Missa pro Defunctis, quae coram Episcopo celebratur	141
Cap. XIII. De Vesperis et Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio, praesente Episcopo, celebratis	142
Cap. XIV. De Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et de Matutinis et Missa in nocte celebranda	144
Cap. XV. De Festis, quae occurrunt usque ad diem Purificationis Beatae Mariae Virginis solemniter celebrandis	147
Cap. XVI. De Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis, et Benedictione, ac distributione Candelarum	148
Cap. XVII. De Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis in Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis	152
Cap. XVIII. De Officio et Missa in feria quarta Cinerum, Episcopo celebrante, vel non celebrante, sed praesente	154
Cap. XIX. De eadem feria quarta Cinerum, Episcopo absente, et in Collegiatis	158
Cap. XX. De Dominicis Quadragesimae usque ad Dominicam Palmarum	159
Cap. XXI. De Officio et Missa in Dominica Palmarum	160
Cap. XXII. De Matutinis tenebrarum quartae, quintae, et sextae feriae majoris hebdomadae	164
Cap. XXIII. De Officio et Missa feriae quintae in Coena Domini	166
Cap. XXIV. De Mandato, seu lotionem pedum	170
Cap. XXV. De Officio feriae sextae in Parasceve, Episcopo celebrante	173
Cap. XXVI. De eodem Officio, Episcopo non celebrante, sed praesente, aut etiam absente, et in Collegiatis Ecclesiis	180

	<i>pag.</i>
Cap. XXVII. De Sabbato Sancto, Episcopo celebrante	186
Cap. XXVIII. De Sabbato Sancto, Episcopo non celebrante, sed praesente, vel absente, et in Collegiatis	192
Cap. XXIX. De Missa solemni in die Paschae, Episcopo celebrante, et de Communionem generali	194
Cap. XXX. De eodem Festo Paschae, Episcopo absente, et in Collegiatis	197
Cap. XXXI. De Dominicis per annum	198
Cap. XXXII. De Litanis et Processionibus majoribus et minoribus, quae singulis annis fiunt	199
Cap. XXXIII. De Festo Sanctissimi Corporis Christi et Processione	201
Cap. XXXIV. De aliis Festis in genere, in quibus solemniter est celebrandum, ultra superius expressa	208
Cap. XXXV. De anniversariis diebus Electionis et Consecrationis Episcopi, solemniter celebrandis	209
Cap. XXXVI. De Anniversario Episcopi proxime Defuncti	210
Cap. XXXVII. De Anniversario omnium Episcoporum et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Defunctorum	210
Cap. XXXVIII. De aegrotatione, morte, funere, et exsequiis Episcopi, et de supplicationibus ad Deum, pro opportuna novi Episcopi Electione impetranda	212
Cap. XXXIX. De tono Confessionis recitandae per Diaconum post sermonem, et de forma Indulgentiae publicandae per sermocinantem, ac de Benedictione danda per Episcopum post sermonem	218

LIBRI TERTII

Cap. I. Quomodo se gerere debeat Praeses, aut Gubernator seu Vice-Legatus in primo accessu ad suam Provinciam, vel Civitatem; et quid, cum in ea permanebit, erga illarum Antistites	221
Cap. II. Quomodo induti Archiepiscopi, seu Episcopi, et Praesides sive Gubernatores mutuo publicas Visitationes exsequuntur	223
Cap. III. De accessu Praesidis aut Gubernatoris una cum Archiepiscopo seu Episcopo Cappa induto, ad Metropolitanam vel Cathedralis Ecclesiam pro publicis solemnibus functionibus explendis	223
Cap. IV. De adoratione Augustissimi Sacramenti, atque inde progressu ad Altare majus, ubi de loco et sella Praesidis seu Gubernatoris aut Vice-Legati: ac de recessu a Metropolitana vel Cathedrali, sacris actionibus absolutis	224
Cap. V. De Thure ac Pace Praesidi seu Gubernatori, aut Vice-Legato deferendis: ac insuper de loco eorum pro accipiendis Candela, Cineribus, et Palma; nec non de adoratione Crucis feria sexta in Parasceve	226
Cap. VI. De generali Communionem feria quinta in Coena Domini, quoad habitum, locum, et ritum Praesidis seu Gubernatoris, vel Vice-Legati	227
Cap. VII. De mutuis reverentiis inter Ecclesiarum Antistites et Praesidem, sive Gubernatorem, aut Vice-Legatum: deque salutatione Concionatoris erga alterum	227
Cap. VIII. Praesidi vel Gubernatori in incensu variatur locus, quando Episcopus vel Archiepiscopus fuerit sacris paramentis indutus	228
Cap. IX. De Archiepiscopi sive Episcopi discessu in Ecclesiam per scalam interiorem et privatam portam	229
Cap. X. Quo accedere debeat Magistratus, ut Archiepiscopo seu Episcopo inserviat, absente Praeside vel Gubernatore; ac generatim de loco illius in incensu, adsit vel absit Praeses aut Gubernator	229
Cap. XI. Quid si Archiepiscopus vel Episcopus Cardinalitia praestet dignitate	230

INDEX

RERUM NOTABILIUM

A

- ABACUS** Episcopi, 34, ejus forma, ubi, et quomodo praeparandus, 40, 41.
- ABACUS** in Ecclesiis Collegiatis, cujus formae esse debeat, et quae in eo ponenda sint, 42.
- ABACUS** a latere Epistolae ad benedictionem candelarum, 148 et Palmarum, 160. V. *Mensa*.
- ABBATES** benedicti quo ordine tburificandi, 69. Interveniunt Synodo Provinciali cum Pluvialibus et Mitra simpliciter, 90.
- ABBATES** Dioecessani mitrati, si divinis mysteriis intersint, locum non habent inter, nec supra Canonicos, 44 et 45.
- ABBATES** mitrati in Synodis non praecedunt Canonicos procedentes capitulariter, 90.
- ABLUTIO** manuum Episcopi, 34. V. *Lotto manuum*.
- ABSOLUTIO ANTE LECTIONES** in Matutino, quo ritu cantetur ab Episcopo, 106, 107.
- ABSOLUTIO** legitur ab Episcopo stante sine mitra, expleto sermone, habito inter Missam solemnem, 123. Concedenda ab Episcopo proprio, si assistit Missae ab alio celebratae, 132.
- ABSOLUTIO PRO DEFUNCTIS** fit ab Episcopo post Missam, depositis sacris parametris, et assumpto Pluviali nigro, 137. Diaconus et Subdiaconus remanent parati depositis Manipulis, 137. Episcopus paratus Pluviali, cum aliis quatuor item Pluviali paratis, procedit ad Absolutionem, 138. Absolutio quo ritu facienda, si Episcopus sit in faldistorio, vel in sua sede, 138.
- ABSOLUTIO** facienda a primo et secundo Praelato, 140. A tertio et quarto, 140.
- ABSOLUTIO** sollemnis ad castrum doloris pro Summo Pontifice, S. R. E. Cardinali, Metropolitanano, Imperatore, Regibus et Ducibus, quo ritu peragatur, 138. Quatuor Episcopi Pluvialibus parantur, seu quatuor Praelati, Dignitates et Canonici, 139. Ordo procedendi ad castrum doloris, *ibid.* Ubi se collocare debeat Subdiaconus cum Cruce, *ibid.* Ordo sedendi apud castrum doloris, *ibid.* Quo ritu incipiatur absolutio, *ibid.* Aspersio et tburificatio quomodo fiat, 140. Terminatur a Celebrante, *ibid.* Depositio paramentorum, 141. Observanda si adsint tantum Canonici, *ibid.*
- ABSOLUTIO** in anniversario Episcopi defuncti, 210.
- ABSOLVE, QUAESUMUS** ETC., oratio ultima dicenda a Celebrante in absolute sollemni defuncti, 141.
- ACCENSUS** Archiepiscopus sive Episcopus primo ad suam Ecclesiam, notificare debet adventum suum Praesidi vel Governatori, 221. Praesces vel Governator idem tenetur praestare erga Archiepiscopum sive Episcopum, 221.
